FRANCISCI MARABELLI

TICINENSIS

PLURIM. ACADEM. SODAL.

APPARATUS MEDICAMINUM

NOSOCOMIIS AC GENERATIM CURATIONI AEGROTORUM PAUPERUM MAXIME ACCOMMODUS

AUCTUS ET EDITUS

AB

ALOYSIO CARENO

MEDICO VINDOBONENSI

R. I. JOSEPHINAE, MADRITENSIS, ALIARUMQUE ACADEMIAR. SOCIO.

VINDOBONÆ

IN

LIBRARIA CAMESINIANA.

1801.

VIRO CLARISSIMO

JOH. PETRO FRANKIO

NOSOCOMII UNIVERS. RECTORI

PROFESSORI CLINICES

AUG. CAESAR. AB AULAE CONSILIIS

AMANTISSIMO SUO PRÆCEPTORI

PRO TESSERA PIETATIS ET DEVOTI ANIMI

ALOYS. CARENUS MED.

D.

EDITOR.

Pars ea Medicinae, quae delectum et compositionem medicaminum tractat, his nostris temporibus studio philosophorum et experientia adeo exculta fuit, ut dici possit ad eum perfectionis apicem pervenisse, quam industriae humanae attingere hoc in genere fas sit.

Anglia praesertim et Germania diligentiae et ratiocinio medicarum scholarum suarum et sagacitati praestantissimorum chymicorum nonnullas exquisitissimae notae Pharmacopaeas debent, quae abjectis veterum vanis et absurdis medicaminum compositionibus, formulisque, quae nulla alia re, nisi antiquitate sua valebant, sana et recta cultioris Chymiae principia sectantes, delectum maxime et diligentem medicaminum appara-

tum subministrant, quibus instructi Medici certius et securius occurrere possint omni morborum generi, queis homines conflictantur. Neque minus intenti digerendis utilissimorum et efficacissimorum medicaminum generibus viri illi recentioris Chymiae cultores, antiquæ restauratores, in hoc quoque elaborarunt, ut remedia quam minime dispendiosa seligerent, utilitatemque cum parsimonia conjungentes oeconomiae piorum institutorum et Nosocomiorum, et indigentis popelli penuriae succurrerent. Italia nostra imprimis salutaria illa chymiae novae commenta amplexa est, namque Antistites medicarum scholarum et Praesides Nosocomiorum Ticinensis et Mediolanensis auctores jam ante aliquot annos fuere, ut exquisitae Pharmacopaeae usui praesertim pauperum et infirmorum, qui in suis Nosocomiis habebantur, in vulgus emitterentur, et ipsa Mediolani societas patriotica Programma tunc temporis proposuit componendae Pharmacopaeae utilitati pauperum accommodatae.

Eminuit inter reliquos, qui hanc sibi provinciam excolendam sumserunt, Franciscus *Marabellius* tum temporis Pharmacopaeus Nosocomii Ticinensis, et in publica schola

illa Repetitor publicus Chymiae, Materiae medicae, ac Pharmaceuticae. Atque hic, quod argumentum tanti momenti vel non satis explicatum hactenus, vel non exhaustum reputaret, induxit in animum rem laudabilissimam facere, ut librum conscriberet, qui fini tam salutari accurata diligentia, et necessaria copia responderet, cujus argumentum hic subjicimus.

Dubium non est, quin in Pharmacopaeis usui Nosocomiorum et pauperum destinatis primum sit, sumtibus parcere et Oeconomiae inservire, quae tamen, uti *Marabellius* recte et ingenue dicit, nec stricta nimis et suo limite circumscripta sit. Inhumanum nempe est et durum saluti pauperum avare nimis consulere, non viliori salute ditiorum, praesertim quod pauperes utili et duro saepe labore et opera hominum societati commendentur, cui inserviunt. Itaque aciem suam omnem eo intendit, ut remedia aut omnino inutilia, aut quae ab aliis minoris pretii, ejusdem tamen virtutis efficaciae suffici facile possent, e re medica excluderet. Sic moschum exempl. gr. in sua Pharmacopaea inutilem et superfluum notavit, quod et non sine magno sumtu haberi, et per alia remedia ejusdem virtutis,

viliori impensa, repraesentari possit, qualia sunt stimulantia aliqua potentissima et diffusibilia, quae suo in opere percensuit, opium, camphoram, sinapim, aetherem sulphuricum, ammoniacam, carbonatem ammoniacae simplicem, vel cum oleo foetido Cornu Cervi et alia plura. Cornu quidem Cervi magna olei foetidi penetrabilissimi copia, quod continet, medicinam in primis stimulantem et diffusibilem exhibet, quae si non exaequat, proxime tamen ad vim Moschi accedit, actionemque stabilem et permanentem exserit, quod usus et experientia quotidiana demonstrat. Multa etiam remedia unius ejusdemque generis proposuit, summo medicorum commodo, uti pro vario regionum, circumstantiarum, casuum et temperamentorum discrimine hoc vel illo potius utantur, posthabitis exoticis, pretio caris, indigenis multo vilioribus. Quippe usus chinae ex. gr. et variarum e china praeparationum paucis casibus circumscribi potest, quum alia remedia magis obvia, nec minoris efficaciae et dispendii minimi, in subsidium et utilitatem aegrotantium in ejus vicem subrogari possint, id quod eruditus Auctor demonstravit in excellenti suâ *Analysi Chinae flavae.* (a)

(a) Vid. Franz Marabelli: Chemische Untersuchung der

Librum auctor in tres partes divisit. Pars prima complectitur remedia, quae dicunt simplicia, et quae jam parata commercio prostant; secunda remedia recenset parata et composita, quae per longum tempus conservari possunt; tertia demum parte medicamenta continentur praeparata et composita, quae in ipso usus momento conflari debent, nec diu durant.

Prima pars Indicem seu catalogum exhibet remediorum simplicium, et quae jam praeparata prostant, nec tantum vocabula indicavit officinalia et Linnaeana, notatis partibus iis, quae vel in ipso medicamine adhibentur, vel praeparationi magis necessariae sunt, sed nomina etiam vernacula addit auctor, non praetermissa vegetabilium, quae adhiberi debent, aetate, simplicium solo patrio, aut unde ad nos advehantur, descriptione, notis, signis, et qua ratione haec ab illis facilius distinguantur, quae perfecta, quae vera aut falsa aut adulterata sint, nominatis praesertim remediis iis, quae fraudi magis obnoxia sunt, et quae ob pretium majus et utilitatem suam pernosse ut plurimum refert.

---

gelben Peruvianischen Rinde von Dr. Salomo Constantin Titius. Leipzig 1797. 8,

Denique usum eorum et formam docet, modum et doses exhibendi; variasque animadversiones Medicis, Chirurgis, et Pharmacopaeis utiles admiscet; qua ratione et medicamina praeparata et composita pertractavit.

Tribus his partibus monita Auctoris generatim praecedunt, quae nec Medicis, nec Chirurgis, aut Pharmacopaeis ignorari debent, quod praeparationem, conservationem, et praescriptionem et opportuniorem usum diversorum medicaminum respiciunt.

Praeparationum chymicarum nomina antiqua servavit, ut facilius ab omnibus intelligeretur, expressis etiam recentioribus vocabulis, quae rerum ipsarum naturam melius explicant.

Pondera non signis medicorum usitatis, sed literis expressit, quam regulam praescriptionum medici sequi certe deberent, praecipue in medicinis heroicis, in quibus error aut signum ambiguum et male intellectum funestum persaepe effectum peperit.

Finem operis tabellae utilissimae tres complectuntur, quarum prima copiam salium,

quam certa aquae quantitas dissolvit, indicat. Secunda demonstrat, qua ratione Pharmacopaea sua ad usum Nosocomiorum castrensium quam utilissime reduci et adaptari possit. Tabella tertia modum et normam exhibet, formandae et conficiendae Pharmacopæae, quae omni hominum generi et toti nationi apto esse usui possit, citatis etiam pharmacopaeis melioribus, quae in promtu sunt, et consuli possunt.

In omnibus fere praeparationibus, quae Pharmacopaea sua continentur, Auctor simplicitatem, diligentiam, et praecisionem magna cum laude conjunxit. Actum ageret, si quis Doctor Chymiae, qui artem Pharmacopaeorum practicam ignorat, aut Pharmacopaeus, qui Chymiam non funditus callet, Pharmacopaeam conscriberet. Certe *Marabellius* opus suum ad unguem elaborasse videri potest, quod et ipse pharmaceutices et artis ejus practicae a longo jam tempore experientissimus sit, in qua praesertim Ticini studio Chymiae theoreticae et practicae per multos annos incubuit, id quod variae ab ipso editae lucubrationes testantur (b), in qui-

(b) Vid. Franz Marabelli: Physisch-chemische Aufsätze zur Erweiterung der Arzneywissenschaft und Oekonomie von Dr. Salomo Constantin Titius (heu nimis cito nunc morte arreptus!) Leipzig 1795.

bus, quid et quantum in Analysi Chymica polleat, luculenter ostendit, ut taceam, quantas ille cognitiones practicas in Nosocomio Ticinensi, in quo Clinicam sub viro celeberrimo Praeceptore meo amantissimo Prof. Petro Frankio per decem fere annos frequentare non destitit, in usu ipso et applicatione remediorum non potuit non adquirere.

Praesens editio duabus aliis, quarum una duos ab hinc annos Brixiae, altera Venetiis superiori anno prodiit, eo praestat, quod non tantum infinitis, quibus illae scatebant, mendis typographicis perpurgata, sed pluribus etiam accessionibus maximam partem ab Auctore cum editore communicatis auctior et locupletior multo in lucem emittitur.

Vindobonae Calend. Mart. MDCCCI.

PRAEFATIO.

Eo animi studio, quo semper exarsi erga pia, ut dicitur, instituta, in id pro viribus constanter incubui, ut labores, curasque meas in eorum utilitatem converterem. Hinc quindecim abhinc annis inclyto hujus urbis nosocomio (a) opere et animo addictus, eo semper

(a) *Hæc tribus & amplius abhinc annis Ticini scribebam. Inchoata duobus abhinc annis ibidem editio hujus operis vix ad quinque circiter folia pervenerat, cum ob deplorandum Patriæ meæ infortunium vel ipso manuscripto deperdito interrumpi debuit. Huc ad Chemiæ & Pharmaciæ docendæ munus honestissimis conditionibus adductus novam editionem in hoc typographeo suscepi, novo pœne opere conflato, iis tamen retentis ut citius editio fieret, quæ retineri commode poterant.*

spectavi, ut si quid ingenio valerem, si quid periculi facerem, id totum in subsidium pauperum infirmorum, simulque in nosocomiorum emolumentum redundaret. Hanc voluntatem meam, hunc animi mei conatum sin minus efficacem, certe sincerum testari possunt innumera, quae pro variis circumstantiis suscipere volui, experimenta, et in lucem edita opuscula mea, quaecumque demum ea sint, certe fidissimi interpretes animi mei.

Id vero potissimum facere aggressus sum in comparanda ratione medicamentorum, et formularum sive processuum, cum probe intelligerem, ab hac pendere plurimum oeconomiae piarum institutionum emolumentum, quin ex altera parte quidpiam detrimenti caperet vis, et actio medicamentorum ad infirmorum valetudinem recuperandam apprime necessaria. Nec enim ita oeconomiae consulendum esse putabam, ut minus consuleretur aegrotorum saluti, quae cum sit praecipuus hujusmodi institutorum scopus, sane postulat, ut huic illa subserviat.

Siquidem inhumanum est oeconomiae titulo nimis avare pauperum saluti consulere, cum et ipsi homines sint nobis similes et eo-

rum maxima pars magis necessariis et laboriosis societatis officiis detineatur. Quare res haec tam difficilis, bonoque publico necessaria, viris committi deberet instructis perfecta rerum peritia, ac sincero erga pauperes humanitatis sensu; nunquam vero iis fidendum, qui vel necessariis cognitionibus careant, vel quorum animum nulla vel exigua tangit pauperum cura. Quid enim ab his expectandum, nisi ut in oeconomica piorum institutorum ratione augenda vel inanis gloriolae, vel rerum suarum augendarum studio ducantur, crudeli quodam fastu de oeconomiae incremento, quemcumque demum exitum habitura ea sit, unice contenti, nihil vero de pauperum aegrorum salute, vel non nisi simulate solliciti.

Ab horum ego consilio semper abfuisse testor de aegrorum salute cum oeconomiae ratione conjungenda sollicitus, ac sic animo comparatus curam hanc semper suscepi, quaecumque mihi occasio se obtulit de hac re scribendi. Id praestiti cum hujus Ticinensis lycei Professor Carminatius Pharmacopeam quamdam collegii Londinensis medicorum jam typis editam quibusdam adnotationibus et animadversionibus augendam mihi tradidit, iisdemque adauctam typis Ticini vulgavit. Quas

quidem animadversiones adprobatas peritorum judicio fuisse gavisus sum.

Eodem animo occasionem libenter arripui, quam mihi praebuit programma a *Patriotica* Mediolanensium societate propositum, de contexenda in usum pauperum Pharmacopea. Hanc et ego composui, et quantum mihi licuit prae angustia temporis, quod serius ad id animum induxerim, pro viribus ingenii mei conatus sum sine dispendio salutis aegrorum oeconomicam medicamentorum rationem exponere. Quod quidem laboris genus sibi gratum fuisse clarissima societas judicio suo, praemioque monstravit.

Eamdem viam pariter tenui cum vir clariss. Frankius, quo tempore hujus Nosocomii clinicen administraret, ejusdemque regimen teneret, re mature perpensa, adhibitisque, indicto medicorum, et chirurgorum Nosocomii congressu, eorum consiliis, ac conventione simul facta circa medicamentorum numerum retinendum, mihi Provinciam concredidit, ut eorum apparatum simpliciori, et utiliori quadam ratione componerem. Quod quidem executus sum, typisque ad usum Nosocomii Ti-

cinensis vulgatum opus visum est adprobationem, et praemium promeruisse.

Hisce interea doctorum virorum judiciis acrius incitatus, cum mihi subiit cogitatio Pharmacopeam ad usum aegrorum pauperum nova quadam ratione, et ampliori utiliorum rerum apparatu elaborandi, ab eo, cujus antea memini, animi consilio numquam aberrans in id curam omnem deinceps converti. Nam licet in ea semper opinione versatus sim, ut crederem opus non esse tanta medicamentorum copia, quanta adhiberi consuevit, sed longe minori apparatu ex aequo, immo utilius fortasse consuli posse infirmorum valetudini, dummodo accuratus fiat utiliorum remediorum delectus, in hac tamen pharmacopea contexenda illud curavi, ut ex una parte nihil complecteretur, quod superfluum videri possit aequo rerum aestimatori, sed ex altera nihil eorum omitteret, quae ad aegrorum valetudinem sunt necessaria, ut propterea opus non sit nisi sapientis medici judicio ad omne morbi genus curandum remediorum exhibitorum delectu. Hanc sane utilissimam fore confido, cum sine ullo vel minimo aegrotorum detrimento maxime prospiciat oeconomicae Nosocomiorum rationi. Quod certe manu veluti

tangent pia instituta, facta quotannis expensarum supputatione. Quare nisi mea me fallit opinio, hanc crederem ceu normam esse posse, quae adhibeatur in usum piarum institutionum, generatim vero in subsidium infirmorum pauperum.

Caeterum is ego non sum, qui velim hoc systema accurate deducendum esse in usum clinicarum institutionum, quae fieri solent ad studiosae juventutis eruditionem. Nec enim ignoro in hisce scholis utendum esse vario remediorum genere, quae non pauperibus solum, sed pro re nata divitibus etiam inserviant, et ideo pleniorem esse oportere juvenum cognitionem pro dignoscenda vi et actione diversorum medicamentorum, cum hujusmodi cognitio maxime opportuna esse possit, immo et necessaria pro variis locorum, temporum, ac morborum circumstantiis, in quibus medici saepe versari possunt.

Hanc igitur Pharmacopeam destinatam esse volo in usum potissimum pauperum, ac piarum institutionum. Nolo autem tempus inutiliter terere in ratione reddenda, cur vel multa remedia excluserim, vel aliis alia substituerim, utpote magis obvia, ac longe mi-

noris pretii. Haec enim ratio cuique patere potest, qui peregrinus omnino non fuerit in chemiae, ac materiae medicae studio. Sic ex. c. moschum retinendum non esse censui, cum sine magno dispendio ex una parte adhiberi non soleat, et ex altera suppleri ejus vis possit per alia remedia, ejusdem paene efficaciae, ac simul pretii sine comparatione minoris, sicuti sunt stimulantia potentissima ac diffusibilia, quae in hoc opere indicantur, ut praeter opium, camphoram, sinapem, aliaque plura sunt aether sulphuricus, ammoniaca, carbonas ammoniacae sive simplex sive junctum cum oleo foetido cornu cervi, quod vulgo dici solet sal volatile cornu cervi; quorum quidem remediorum postremum ob olei foetidi, ac valde penetrabilis copiam, quam in se ipso continet, efficitur remedium valde stimulans diffusibile, quod propterea nisi prorsus exaequet, saltem proxime accedit ad vim moscho insitam, et quod magis aestimandum est, sociam habet actionem magis permanentem, ut etiam in praxi non semel, sed saepius clarissime deprehendi. Cur vero praetermiserim etiam extractum chinae, rationes exposui in altero opusculo meo, quod de china lutea non ita pridem prodiit in lucem.

Illud etiam adnotari volo cum interdum non unum, sed plura ejusdem generis remedia proposui, id a me factum esse in gratiam, ac majorem commoditatem medicorum, qui cum in diversis regionibus versentur, ac variis in circumstantiis esse possint, in quibus vel unum prae altero facilius haberi possit, vel unum prae altero in aliquo casu utilius esse queat, aut aegri temperamento conformius, aliisque de causis adjunctisque diversis valde opportunum, habebunt aliquatenus ditiorem remediorum apparatum, ac praesertim indigenarum minoris pretii, quae substitui facile possint remediis exoticis longe majoris sumptus. Quod ut exequantur medici satis inculcari non potest, iis maxime qui ad pauperum aegrorum curam vocantur. Hujus generis exemplum suppeditat usus chinae, ejusque praeparatorum, qui multo parcior esse posset quam fieri solet, paucisque casibus circumscribi, cum ejus loco saepissime adhiberi facile queant alia non minoris efficaciae remedia sine magno dispendio et cum aegrorum utilitate. Quod clarius patet in eo cujus memini opusculo de china lutea.

Hoc autem Opusculum meum in partes tres divido, quarum prior simplicia, ut ajunt,

remedia, et quae ope instituti commercii jam parata inveniuntur, complectitur; altera de remediis praeparatis, et compositis agit, quae diu etiam servari possunt; tertia demum disserit de remediis praeparatis ac compositis, quae ex tempore conflari debent, nec diu perdurare solent.

Prima pars non consistet tantum in indice sive catalogo simplicium, seu remediorum, quae jam parata acquiruntur. Nec solum indicabuntur vocabula officinalia et Linnaeana, nec dicam tantum quae eorum pars in usu medicaminum adhibeatur, nec solum praeparatorum magis necessaria adnotabo, quae ex iisdem componuntur, et quae in hac Pharmacopea retinere malui; sed addam quoque eorum vernacula, quibus indicantur vocabula; tum aetatem; ubi de vegetabilibus sermo est, partium simplicium solum, vel ex quo ad nos advehuntur, aliasque notiones ad ea pertinentes, maxime vero indicabo praecipuos characteres, notas et subsidia quorum ope alia ab aliis discerni facile possint, ab inferioribus meliora, vera ab adulterinis et falsis, idque potissimum exequar, quoad ea remedia, quae saepius et facilius hisce fraudibus subjacent, et quae ob ipsorum utilitatem et pretium ma-

gis interest accurate distinguere. Sedulam demum operam impendam in usibus explicandis, quibus haec remedia inserviunt, dicamque qua forma, quo modo, quave dosi exhibeantur, aliaque plura adnotabo medicis, chirurgis, ac Pharmacopolis admodum utilia.

Quae pariter respiciunt remedia praeparata ac composita, quae locum habebunt in secunda, ut monui, et tertia parte, indicabo pro viribus accurate, usus nimirum, quibus adhibentur, formas, modos, ac doses, quibus praescribi solent, nec pariter praeteribo characteres, et qualitates, quibus insigniri debent genuina, ac rite parata, mediaque suppeditabo, quibus detegi facile possit eorum alteratio, et corruptio; ac demum utramque partem ut in priori, similiter absolvam monitis quibusdam et observationibus medicis, et Pharmacopolis non minus utilibus.

Has vero tres operis partes anteibunt generalia quaedam monita, quae sciant oportet medici, chirurgi et Pharmacopolae, cum illa respiciant diversorum remediorum praeparationem, conservationem, et praescriptionem, aliaque non pauca ad bonum eorum usum spectantia.

Nec denique prorsus inutile, et injucundum esse credidi, si quasdam formulas adderem, quas medici adhibere saepe possunt pro re nata, et ex tempore. Novam autem nomenclaturam in praeparationibus chemicis simul cum veteri conjungere volui, ut omnium utilitati servirem, et ex altera parte per aptiora vocabula rerum naturas exprimerem.

Illud etiam praetereundum non est, cum indico pondera ingredientium in praeparatione medicamentorum, me uti noluisse medicis signis, sed expressis litteris usum esse, quemadmodum et alias me fecisse memini in apparatu medicaminum ad usum nosocomii nostri composito. Quod optandum esset, ut etiam ab omnibus medicis fieret, cum remedia praescribunt, praesertim si agatur de remediis, ut ajunt, heroicis, quorum usus pro varia eorum ratione, seu dose non parum nocere potest aegrotis. Quae proinde praxis multa nec exigui momenti pericula averteret, quae aliquando nascuntur ab usu signorum medicorum.

Ad calcem hujus operis tabulae tres reperientur, nam quartam, cujus in specimine typis edito memineram, omittam, opportu-

nius remediorum dosibus in suum singulis locum rejectis. Tabularum prior copiam salium indicabit, quam certa aquae quantitas solutam tenere valeat. In altera ostendetur, quam facile haec, quae modo prodit, Pharmacopea maxima utilitate aptari posset etiam usui Nosocomiorum militarium, levi tantum apposita aliquorum medicaminum reductione seu modificatione, *levi*, inquam; nam illud prae oculis haberi volo, quod ab initio monueram et rectissime monet vir clar. Moscatus in suo jam pridem edito Apparatu medicaminum ad usum Nosocomii civici Generalis Mediolanensis: *satius esse abundare aliquantulum, quam possibili necessitati deesse, aut angustis nimium finibus maximo aegrorum detrimento clinicen obstringere.* Tertia demum specimen, normamque exhibebit, quam sequi facile posset, qui Pharmacopeam omnibus personarum classibus, sive integrae nationi prorsus accommodam brevi etiam tempore contexere vellet, in eaque quisque clare perspiciet, aliquibus remediis additis, et quibusdam aliis temperatis hanc ipsam, quae ad pauperum usum modo prodit, Pharmacopeam ad eum, quem dixi, finem accommodari posse. In hoc praeterea specimine seu prospectu in id diligenter incubui, ut cum remedia in-

dicarem, ea quoque speciatim notarem, quae pro varia personarum conditione atque aetate cuique magis, minusve aptata et convenientia esse queunt, aliaque adjuncta multum utilia.

Interea in hoc prospectu mihi videor jecisse semina, quae apta sunt Pharmacopeae componendae, quae toti Reipublicae inserviat; quod quidem Pharmacopeae genus tam late patens ad usum regionis nostrae nondum prodiit, licet ab omnibus jam diu expetitum, ac saepe publicis votis curisque promotum, utpote summopere necessarium non solum ad medicaminum seriem, eorumque pretium determinandum, quod maxime vergeret in publicum bonum, sed etiam ad remediorum indolem, proprietates, et qualitates, aliasque notiones ad ea pertinentes, ac formas praeparationum, modosque accurate definiendos. Quo certe plura asseri possent maxime utilia in hac, qua vivimus, temporum luce. Quod quidem opus cum innuo, rem non ingratam nec inutilem patriae meae praestare puto.

Ecce interea animi consilium candide expositum, quo Pharmacopeam hanc facere aggressus sum; ecce rationem agendi, quam

tenui in ea componenda. Hoc opusculum meum nescio an placiturum sit omnibus, iis maxime, qui cum simpliciorem medendi rationem se tenere profiteantur, simpliciorem quoque hanc Pharmacopeam fortasse voluissent tum ratione habita remediorum generatim, quorum minori numero satis consuli posse putant aegrorum saluti, tum etiam ratione habita formularum, quas tam multiplices esse nollent, cum cuperent eas pauciori numero comprehendi, et indicari. Veterem demum nomenclaturam medicaminum libentius mutarent, ejusque loco vocabula subrogarent, quae tutius indicarent vim et actionem remediorum, nec tam incerta ac saepe ab errante significatione vagarentur, cujusmodi antiquam nomenclaturam esse arbitrantur.

Verum quamvis ego vim sentiam harum objectibnum, passus tamen non sum me dimoveri a proposito, nec quidem ut arbitror sine ratione. Nam licet facile assentiar quibusdam remediis, quae retinui, carere posse medicinam, cum tamen de remediis agatur, quae minimo pretio comparari possunt, et quorum maxima pars huc illuc apud nos reperitur, operae pretium esse putavi ea retinere, cum id in commodum medicorum ver-

gere possit ac simul in facilius aegrotorum subsidium, maxime cum eorum vis adeo spernenda non sit, ut negligi omnino possit, utpote subnixa pluribus medicorum observationibus. Formulas vero, quae videri possunt plures, quam opus sit, retinendas esse putavi, cum has ego existimem non solum expeditiores in praescriptione a medicis facienda, cum haec paucis omnino verbis per ipsas compleatur, sed etiam utiles esse ac valde proficuas, quemadmodum circa earum non paucas experientia me docuit. Summa negotii est eas accurate adhibere et pro re nata et natura morbi accommodare, quod sane praestare facile poterit medici judicium et peritia. Reprehensionem demum mereri non credo quod veterem nomenclaturam in hac Pharmacopea retinuerim. Nam cum nova loquendi ratio, ut ut speciosior esse videatur, satis pervulgata non sit, nec satis ubique radices egerit systema, quo ipsa nititur, sic rem ego componere debui, ut modum loquendi adhiberem, qui facilius ab omnibus intelligi posset, ac principiis longe lateque adhuc patentibus magis responderet.

Quod si contigerit successu temporis recentem loquendi modum, ejusque principia

communiora fieri, et usu medicorum latius adoptari, magis adhuc quam hactenus fecerim, ad eam quam alii desiderarent, simplicitatem me accessurum esse polliceor. Interim aequi rerum aestimatores hoc opusculum meum qualecumque demum sit bono animo accipiant, ac sin minus opus, quod per se exiguum sit, saltem bonam animi voluntatem, quam sinceram esse profiteor, commendent et probent.

MONITA.

I.

Ex innumeris, quæ huc produci possent, quædam opportuniora selegi & quæ scitu magis necessaria existimavi.

Ut quis certior fiat diversas vegetabilium partes debita vi & efficacia operari; hæc quæ sequuntur monita spectet.

1. Notandus est locus, quo vegetabilia nascuntur. Constat enim res aromaticas & fragrantes colligendas esse ex terreno sicco & eminenti; radiisque solis exposito. Videmus revera radicem sylvestris valerianæ, quæ in imo solo; humidisque locis crescere solet, vi & efficacia plurimum illi cedere; quæ in montibus oritur. Simili ratione præferri debent sylvestres plantæ domesticis; ita exempli gratia cichorea, daucus sylvestris &c. iis præferri debent quæ coluntur in hortis. Quæ sane regula generalis est, si ea vegetabilia excipiamus; quæ experientia patet plus odoris & efficaciæ ex cultura recipere; ut accidit in plantis labiatis aut didynamia gymnospermia Linnæi, quales sunt mentha, salvia &c.

2. Præferri pariter debent non raro ubi id fieri possit recentium vegetabilium partes aridis

& exhaustis, uti in plantis, quarum vis sive activum principium coalescit ex partibus saponaceis, sicuti esset cichorea, taraxacum &c. Sed id maxime observandum est in illis plantis, quæ pertinent ad cruciferas aut tetradynamiam Linnæi, ut est nasturtium aquaticum &c.

3. Rursus ad eas colligendas seligi tempus oportet serenum & siccum, orto jam sole ac plene dissipatis roris & omnis humiditatis vaporibus.

4. Aliqua præterea notanda sunt accurate circa ætatem, qua vegetabilia colligi expediat. Hæc vero observari debent 1. radices plantarum, quæ annuæ dici solent, colligendæ sunt, ubi ipsarum efflorescentia proxime accesserit, seu antequam valde earum caulis augeatur 2. Biennes vero & perennes veris tempore, aut si necessitas exigat, etiam autumni 3. Hoc autumni tempore caules, vulgo stipites secari debent, cum hac tempestate soleant efficaciorem succum habere 4. ligna scindi debent veris initio 5. herbæ antequam flores explicent, colligantur, folia postquam emiserint flores suos, sed ante istorum maturitatem 6. flores colligantur post sufficientem eorum explicationem, sed ante expulsionem pulveris ab antheris 7. Semina demum, cum pericarpia aridiora semen continentia sese explicare incipiunt, vel cum semina praesertim nuda sponte, vel saltem leviter tacta secedunt; baccæ autem non avellantur nisi perfecte maturæ.

5. Sed illud sedulo curandum est, ut herbæ, et folia, quæ colliguntur viridia sint, non pallida, aut marcescentia, aut arida, et ubi na-

tura odorifera sint, odorem habeant sibi proprium, non extraneum, atque folia plantarum, quæ mucosæ sunt, colligantur juniora, & quæ copia succi abundent; rejiciantur propterea, quæ dura deprehenderentur, aut arida.

6. Ligneæ radices antequam exsiccentur, spoliari debent ea parte, quæ continetur in centro, id est lignea parte, & quæ crassæ & succo plenæ deprehenduntur, debent in segmenta scindi.

7. Hæc autem omnia collecta æstivo tempore radiis solis exponi debent, donec sicca fiant; vel solis defectu in aliquo loco ponantur, qui solis vices explere possit, ut celeriter exsiccentur, ac ita vitent periculum fermentationis, vel marcescentiæ; cavendum tamen a loco immoderate calido. Flores pene omnes siccari debent, ac conservari absque eorum calicibus, iis exceptis qui aromatici sunt & classe didynamiæ gymnospermiæ; quoniam in calicibus maxima istorum vis continetur.

8. Semina abundantia succo & oleo esse debent recentia, non rancida, ac bene nutrita; farinacea vero arida, integra, pariterque rite nutrita esse debent, nec corticem habere levem, fragilem, ac facile divisibilem; quæ vero continent oleum essentiale, sint recentia, ac plena; ac tamquam inutilia rejiciantur, quæ antiquata sunt, & vacua, parumque odoris, & saporis emittunt.

9. Generatim vero non vegetabilium solum sed & animalium partes (quas tamen convenit quotannis comparari) præsertim indigenæ conservari debent in aridis locis, suis quæque bene

clausis receptaculis, præsertim vitreis quoad maximam partem si fieri possit ne eos afficiat aut mucor, aut teredo. Ubi vero abundent aromate aut principio volatili & acri, tum non arido solum, sed & frigido loco servari debent, & in vasis magis, & interdum pro aromatis copia vel alterius principii hermetice clausis. Quoad radices demum, antequam conserventur, aut in usum deducantur, solvi accurate debent a terra, si quam continerent.

II.

Substantiæ aromaticæ, quæ adhibentur in pulverem redactæ, reduci non debent in pulverem nisi quo tempore utendum iis fuerit, aut saltem eæ debent in minima quantitate reduci, eædemque accuratissime in vasis bene clausis servari. Immo si sermo sit de substantiis, quarum principium valde activum sit, acre & maxime volatile, aut alterationi obnoxium, illæ absolute conterendæ in pulverem non sunt, nisi toties quoties iis utendum erit. Ejusmodi sunt Cantharides, sinapes, &c.

III.

Dum in pulverem conteritur mercurius sublimatus corrosivus, semper caute muniendi sunt oculi, os, & nares, ut omne periculum, quod conterenti immineret, arceatur. Eadem cautio adhibenda est, dum conteruntur Cantharides, sabadilla &c.

IV.

In præparatione infusorum digestio nunc sufficit, & præstat frigida, nunc calida requiritur, aut ebullitio lenis. In primo casu substantiam, qua utendum est, oportet exhiberi in pulvere subtilissimo, ac sæpius agitari mixturam. Sic frequenter parari expedit spectata vel morbi, vel ægroti natura, & indole, infusum chinæ sive communis, sive luteæ, aut amarorum aliorum, quæ chinæ succedanea sunt, tum gentianæ, baccarum juniperi &c. Sed baccæ cum difficile in pulverem conteri possint, non adhibentur nisi contusæ. Gentiana vero conteri in pulverem debet, sed opus non est eam conteri in pulverem adeo subtilem, nec exigit aliquando eam agitari nisi perraro. His, aliisque substantiis sæpe infusa parantur etiam cum calida digestione. Sed quæ posteriori hac methodo semper præparantur infusa, sunt infusum absynthii, valerianæ, sambuci, chamomillæ, fœniculi, centaureæ, liquiritiæ &c.

V.

Hic subjiciam canones, quos observare opus est in præparatione tincturarum, qui canones etiam in præparatione infusorum passim locum habent. Vegetabilia sint recenter & modice exsiccata, nisi recentia præscribantur. Incidantur etiam, atque contundantur ante affusionem menstrui. Si in balneo digestio fiat, totum opus absolvitur temperatione caloris, qui toto tempore lenis sit oportet. Vas circulatorium, quod

adhibetur, amplissimum sit, ac incalescat, antequam lutentur juncturæ, digestionis tempore agitetur vas crebro.

V I.

De iis, quæ observari debent in præscriptione decoctorum exequenda.

1. Illud primo cavendum est, ne ebullitioni subjiciantur nisi substantiæ, quas constat pro eo gradu caloris non amittere medicantia principia, ac ideo nullam pati noxiam mutationem. Quare ebullitioni subjici nequeunt vel saltem nisi levissimæ, substantiæ præditæ principio aromatico, subtili, volatili, nisi forte eo ebullitio spectaret, ut quis vellet eo principio easdem spoliare; itemque purgativæ ebulliri non debent, quæ præcipue quandam resinæ copiam contineant, uti sunt rhabarbarum, jalappa, senna &c. Substantiæ autem amaræ mucilaginosæ, ac dulces levem tantum ebullitionem suscipiant; alioquin decocta alterationem patiuntur, ac inde fiunt displicentia, & palato ingratissima; mucilaginosa vero etiam fastidium, & pondus afferunt stomacho.

2. Quo magis substantiæ adhibendæ in infusis, sive decoctis sunt duræ, eo longiorem infusionem, aut ebullitionem postulant, & antequam hisce operationibus subjiciantur, oportet eas in pulverem aliquatenus redigi, vel si id fieri nequeat, saltem eas scindi, aut lima minui opus est.

3. Ubi decoctio facienda sit ex variis rebus composita, sequentia observari debent in praxi. Primo loco ebullitioni subjaceant ligna ac durio-

res radices 2. cortices 3. aliæ radices minus duræ, ea proportione servata, ut spectato gradu duritiei primo duriores, deinde teneriores, mucosæ & dulces ebullitioni exponantur: 4. fructus: 5. Herbæ primum aridæ, deinde virides: 6. semina, nisi fuerint cerealia, quæ longiorem ebullitionem exigerent, ut de lignis dictum est: 8. flores, quos tamen raro contingit ebullitionis indigere.

4. Decocta vel infusa, quæ facienda sint ex substantiis continentibus principium aromaticum, aut aliud volatile, quo privanda non sint, parari debent vasis clausis.

5. Sed in præscriptione decocti potissimum curandum est, ne peccetur in dose, seu proportione ingredientium servanda. Nam sæpe contingit, ut major, quam opus sit, rerum copia ordinetur, ac tum decoctum nauseam affert, onerosum fit stomacho, ac sine ægroti utilitate valde dispendiosum. Sane vehiculum, quod in eo faciendo adhibetur aptum esse nequit nisi absorbendæ determinatæ portioni medicantis principii ingredientium, ex quibus decoctum coalescit: ubi vero minor, quam oporteat, in decocto proportio servetur, minus efficax, minusque operosum, quam morbi natura postulet, decoctum efficitur. Ut medium illud servetur, quod optimum est, sequentes proportiones in eo præscribendo plerumque servari poterunt. Pro decocto faciendo ex radicibus, corticibus, aut lignis exsiccatis proportio servetur pro qualibet decocti libra a duabus drachmis usque ad sex prout magis, aut minus saturum desideratur, & prout ingredientia sunt magis minusque ponderosa. Pro decocto au-

tem herbarum, foliorum, aut florum pariter exsiccatorum ab una ad tres drachmas pro qualibet decocti vel infusi libra proportio teneatur.

VII.

Etiam in usu clysterum utilia esse queunt monita, quæ sequuntur. Si clysmatum resorptio requiratur, & interdum plenaria consumptio, ut in enematibus nutrientibus, & ut dicunt antispasmodicis, resolventibus &c. unciæ sex generatim tum sufficiunt sine ullo stimulante irritante; si id vero requiratur, varia tunc addenda sunt ad alvi obstructiones reserandas, & intestinum stimulandum, post colaturam decocti pro vario scopo, ut sunt nitrum, mel, sal culinare, seu anglicum; sal ammoniacum, fortior si irritatio indicetur, propria tum purgantia seu emetica requiruntur, uti tartarus emeticus, scilla &c.

VIII.

De aquis destillatis hæc monenda censeo. Ubi istæ hauriendæ sint a vegetabilibus continentibus quidpiam aromatis, certum est, ubi de pauperibus agatur, iis suppleri egregie posse per infusa, quæ fiunt ex iisdem plantis. Quod si de aquis agatur, quæ ducantur ex vegetabilibus aromate destitutis, certum pariter est eos non tantum in pauperum usu quam cæterorum prorsus inutiles esse. Adde has vetustate temporis corruptioni subjectas esse. Quare ubi absolute necessarius judicetur usus aquæ distillatæ, ut ob solutionem sublimati corrosivi, tartari emetici,

lapidis caustici & infernalis, extracti saturni &c., opportunior erit in hisce casibus usus aquæ communis destillatæ.

IX.

Curandum est diligenter, ut Electuaria levigata sint, habeantque consistentiam, & colorem omnino parem.

X.

Ut vero parentur extracta, sumendi sunt succi, aut liquores hausti per infusionem vel decoctionem. Hi nudo igni exponantur, ut fiat evaporatio, quæ talis esse potest, ut eorum non nisi pars tertia circiter supersit. Sed ubi ad hanc perventum sit prior operatio cesset oportet, et deinceps continuari debet evaporatio balneo maris in vase non metallico, perennique materiæ mixtione ope spathulæ ligneæ, donec commode inspissentur. Quæ quidem singula rite observanda sunt in præparatione extractorum, ne extracta odorem empyreumaticum, vel alias noxias qualitates acquirant, quæ sine præscriptis cautionibus cum non exiguo detrimento facile ingruunt, tum etiam ut acceleratio evaporationis obtineatur.

Ne vero contingat extracta aquosa præsertim molliora, postquam conflata fuerint, successu temporis mucorem acquirere, opus eſt, antequam extractum tollatur a balneo maris, aliquam unciam adjungi spiritus vini & agitari mixturam. Cæterum opus est extracta aquosa præsertim molliora sæpius renovari.

Omnia extracta, ut rite parata censeantur, nec odorem, nec saporem empyreumaticum præferre debent; bene vero exhibere aliqua saltem ratione suscipientis gustui illius substantiæ saporem, a qua hausta fuerunt, odoremque ejusdem substantiæ, ubi hæc fuerit naturæ aromaticæ. Atque hæc generatim monuisse nunc satis est. Nam peculiares notas pro singulis suo loco referemus.

XI.

Quoad pilularum, vel bolorum usum hæc inter cætera notari volo.

Pilula, ut unicuique notum est, medicamen est internum, solidum, partibus cohærentibus constans figuræ sphericæ, nec pondus excedens unius vel ad summum quatuor granorum: nam ubi excesserit, non pilulæ sed boli vocantur. Videndum est itaque, qualis sit excipiendorum natura, & consistentia, quæ si talis fuerit, ut in hanc formam ipsa per se redigi possint, opus non est excipiente, vel constituente. Si vero animus fuerit ea sub dictis formis exhibendi sicca, & pulverulenta, tunc necessarium est uti aliquo constituente, cujusmodi esse poterit aut mel, aut syrupus, aut oximel, aut mucilago aliqua, vel extractum, aut roob, aut conserva &c.

Ceterum perinde non est uti indiscriminatim quocumque excipiente. Nam semper expedit medicum accurate definire, ac seligere illud excipientis genus, quod indoli, ac proprietatibus ingredientium, quibus conflari debent pilu-

læ, seu boli, rite respondeat. Hinc si Medicus præscribat sumendas in pilulis, vel bolis aliquas substantias siccas & pulverulentas, quæ sub non exiguo volumine exhibendæ sint, nec expediret usus alicujus extracti, vel roob, vel conservæ, ne magis, quam opus sit, volumen augeatur; vel aliis de causis utendum erit pro excipiente mucilagine arabica, vel althea, non vero syrupis, aut melle despumato, vel oximelle, cum horum usu obtineri nequeant nisi fragiles massæ, quæ in pilulas vel bolos reduci vel nullo modo possunt, vel non nisi maxima difficultate, & incommodo. Hinc a Pharmacopolis merito socordia medicorum redarguitur, qui sine ullo discrimine sub ea forma reduci præscribunt cum eo constituentium genere chinam, valerianam &c. Qua in re a quibusdam medicis passim peccari solet. Quae medicorum inadvertentia non exiguum parit incommodum, maximum vero incommodum parit in nosocomiis, in quibus magnus est ægrotantium numerus, inservientium autem exiguus.

Ubi vero ingredientia sicca & pulverulenta, quæ sub prædicta forma præscribuntur, aut ob eorum maximam vim, aut aliis de causis sub exigua mole exhibenda sint, ut mercurius dulcis, sulphur auratum antimonii, camphora, limatura ferri vel sola, vel aliis pulveribus juncta, scilla &c, expedit uti tamquam constituente aliquo extracto, aut conserva, aut roob; resque male cederet, si etiam in hisce casibus, aut mel despumatum, aut oximel, aut syrupus præscriberentur.

Dum tamen hæc dico a numero constituen-

tium extracta mollia, conservas, & roob non rejicio etiam pro substantiarum siccarum & pulverulentarum genere, licet sub non exiguo volumine istæ exhibeantur; nec enim inficior ea absolute in hunc usum posse adhiberi. Id unum intelligo raro expedire, ut in simplicem usum constituentium adhibeantur, cum nimis augerent substantiarum massas, & ex altera parte ægrotis non leve incommodum afferrent. Hinc supra recte monuisse videor, longe opportunius in usum hujusmodi aliquam mucilaginem adhiberi.

Cæterum in constituentium usum venire possunt etiam mel despumatum, oximel, & syrupus, ubi in pilulas vel bolos exhibenda sint extracta dura vel sicca & sapo aut alia remedia; quæ ipsa per se, cum sola additione exiguæ partis alicujus corporis mollis aut fluidi facile contrectari & dividi in pilulas vel bolos possint, tum etiam ubi præscribantur recensita remedia, aut alia extracta mollia, vel conservæ, vel roob in ea qua opus est quantitate simul cum medicamentis siccis & pulverulentis, quæ per se licet praedictis constituentibus tractentur, nec contrectari nec in formam pilularum vel bolorum converti possunt. In hisce casibus prædicta excipentia loco mucilaginum opportunissime adhiberi possunt, nec raro istis utilius; & prælationem mereri, nisi quidpiam aliud medicus sibi proponat assequendum, extractis roob, aut conservis, cum istorum usu nimis excresceret massarum moles.

Generatim nunquam opportuna sunt pro constituentibus liquida spirituosa ad usum pilularum vel bolorum; potius aliquando aqua huic

scopo apta esse potest, ut videre est in pilulis sublimati corrosivi.

Rursus utilius pro medici judicio esse potest unum præ altero constituente adhiberi, cum scilicet unius usu præ altero vis & actio augeri aut juvari possit ingredientium, seu basium. Sic ex. causa intenditur actio remediorum diureticorum, si pro constituente eligatur roob Juniperi, aut oximel scilliticum &c. quam alia diversi generis; Sic etiam in usu pilularum corroborantium utilius inservit usus extracti amari &c.; quam roob baccarum Sambuci; aut pulpæ prunorum &c. Idem dicendum de aliis quæ afferri possent.

In constructione autem pilularum seu bolorum semper aliquo pulvere utendum est, quo pilulæ seu boli conspergantur, ne ob earum tenacitatem manibus, aliisque corporibus adhæreant. Id fieri præterea aliquando debet, ut pilulæ aut boli paululum indurentur in eum finem, ut contrectari manibus, ac dividi possint Illud quoque notari opus est, ubi sub his formis præscribantur fluida; vel mollia corpora; cum necessarius sit pulveris usus ad ea continenda, perinde non esse uti quocumque pulvere, cum magis expediat usus unius præ alio; illius scilicet, qui magis congruat naturæ ingredientium, ægrotorum indoli aliisque circumstantiis, quæ possunt occurrere. Quare medicus imprudenter se gereret; qui pulverum delectum arbitratui Pharmacopolæ dimitteret.

Quare pro suscipientibus, quos dulce delectet; nisi morbi indoles id prohibeat, pulvis radicis liquiritiæ opportunissime adhibetur. Hu-

jus autem loco, ubi ejus usus impediatur, in promptu est pulvis radicis altheæ, qui ex una parte simplex est & omni fere sapore caret, ex altera plures utilitates in aliquibus circumstantiis afferre potest. Silentio huc prætereo pulverem amyli, lycopodii &c. opportune ad id muneris adhiberi posse; cum præ oculis habeam eam, quam in hac Pharmacopea pro pauperum usu mihi proposui, simplicitatem. Quod si ægrotantium gustus delectetur amaris, aut alio saporis sensu, si morbi natura id permittat, multoque magis si postulet, expedit aliorum pulverum usus, ut corticis Salicis, Hippocastani, quorum alteruter semper loco chinæ in dictum finem adhibendus erit, tum etiam usus radicis gentianæ, florum chamomillæ, valerianæ, seminum anisi, corticis citri, &c. Unius præ altero pulveris usum præscribere ad medicum spectat pro variis sibi perspectis circumstantiis. Ast usum aliquibus Medicis familiarem probare non possum pulveris seminum citri, cum hic pulvis subito rancidus efficiatur & ingrati saporis, quo vel ipsæ pilulæ, seu boli afficiuntur Quæ incommoda ut vitentur, oportet singulis vicibus semina in pulverem conteri: sed id quod non leve incommodum afferret, nec exiguam temporis jacturam.

Illud quoque notandum est ex unius præ alio pulvere delectu non exiguam utilitatem trahi posse; quæ certe contemni non debet; eam scilicet, quæ in delectu pulverum oriri potest ab ipsorum, ut ita dicam, affinitate cum actione medicaminum, & cum indole, seu natura morbi; quæ quidem affinitas multum juvare po-

test medicamentorum actionem, & vim. Sic ex. causa ubi pilulæ præscribuntur, ut ajunt antispasmodicæ sive antihistericæ, præferri juvat aliis pulveribus pulverem valerianæ, vel chamomillæ &c., pro iis, quæ adhibentur in pectoris morbis curandis pulverem liquiritiæ aut altheæ &c. pro pilulis ut dicitur antifebrifugis, pulverem Hippocastani, salicis, gentianæ &c., in iis quæ ad excitandum adhibentur, pulverem seminum anisi, corticis citri &c., qui pulvis sæpe adhibetur etiam in pilulis, quas supra diximus antifebrifugas non sine exigua utilitate, præsertim cum agitur de gratia quadam pilulis, seu bolis concilianda. Sic pariter pulveres, quos innuimus in usu pilularum antifebrifugarum, locum habere possunt pro pilulis etiam antispasmodicis; iique demum in harum usu præscripti juvare & ipsi possunt etiam pro pilulis antifebrifugis. In his delectus unius præ alio pulvere à medici peritia, ac judicio pendet, eo semper respectu, quo dixi unum super alterum prærogativam justo titulo mereri posse.

Quod spectat ad ea remedia, quæ dici solent heroica, quorum vis, cum maxime activa sit, & energica postulat, ut eorum dosis accurate definiatur, ad mala vitanda, quæ oriri possunt ab eorum dosibus indefinitis, & arbitrariis, hæc nunquam venire debent in usum neque constituentium neque pulverum titulo involvendi & indurandi pilularum massas. Quare in hos fines nunquam adhiberi debent ex. causa neque extractum aconiti, cicutæ, scillæ &c. neque pulveres digitalis, squillæ &c. Scio quidem in dictos usus hæc quoque remedia adhiberi posse,

dummodo accuratissime eorum dosis definiatur: Sed ajo id accurate præscribere admodum difficile esse; & ex altera parte esse maxime periculosam pro hisce remediis eam indeterminatam præscriptionem, quæ pro aliis fieri & indicari solet vocabulo *quantum sufficit*; aut alio simili. Hoc enim sine periculo passim fit in præscriptione substantiarum, quæ tanta circumspectione tractandæ non sunt; cum ab eorum indeterminata quantitatis præscriptione gravia pro ægrotis incommoda timeri non possint.

Præterire observationem non debeo utpote non inutilem, quam innuit pro pilularum præparatione &c. *Pipenbring*, cujus verbis eamdem exhibeo: Pharmacopæi quidam exitioso plane modo, in præparatione massarum pilularum non calefaciunt tantum pistillum mortarii, sed incandescunt; quo modo massam plane perdunt, destruunt; pulveres comburunt sæpius in iis contentos; quo extracta vel gummata, seu resinæ rancescunt, qui odorem inamœnum dein acquirunt, sed effectus eorum destruitur; et alteratur noxio plane modo. Melior hac via observatur; si mortarium tantum calefacit Pharmacopæus; uti & pistillum; quo dein contusionis ope massa magis compacta; & in frigore leviter congelascens paratur. Ego vero putarem ubi res postulet, ut mortarium calefiat; id fieri debere in balneo maris.

Monendum est insuper, ne massæ pilularum jam præparatæ in officina serventur diutius, cum expediat pilulas conflari, interea dum præscribuntur: Alioquin sæpe vis pilularum variatur; aut ipsæ pilulæ durescent; quo fit ut in corpore non

solvantur, sed integræ fere per secessum abeant. Expedit etiam præscriptas pilulas paulo molliores conflari, nec pilularum copiam a medico praescribi, quæ ad multos dies perdurare debeant, sed in minori copia præscribi pro rei natura, ac frequentius; si opus sit easdem renovari.

Denique observare universim juvat sub forma bolorum & maxime pilularum ea remedia opportune adhiberi 1. quæ vim habent agendi in exigua quantitate, cum ea præscribi possint in parvo volumine 2. quæ, si præscribantur sub alia forma, gustui molesta sunt, & ingrata 3. a quibus promptus ac celer effectus non exigitur 4. præsertim cum res necessario postulat, ut remedia exhibita aut lente operentur, ut maximi interest speciatim in usu sublimati corrosivi; aut successive, ut in moscho; aut sale volatili cornu cervi &c. Hæc enim duo cum in pilulis exhibentur, actionem exerunt magis permanentem. Sed jam patet pilularum usum non esse pro infantibus; sed tantum pro ægrotis majoris ætatis; & ubi deglutitio non prohibetur.

X I I.

Ut certitudo habeatur de perfecta saturatione salium, quæ ex acido cum basi quacumque conflantur, inter notas exhiberi solitas ea opportune se prodit, ut videatur, an exoriatur aliqua effervescentia in solutione salis, quod præparatur ex additione novæ partis tam acidi, quam basis; ea tamen cautione, ut utrumque sit ejusdem naturæ cum sale, quod praeparatur:

qua in re facile contingere potest illusio ob diversitatem ex causa acidi aut alcali, quod adhiberetur, uti contingeret si adderetur alicui accetito, vel muriato acidum sulphuricum, aut cuidam ammoniato adderetur alcali fixum vel calx, ac ita de cæteris exemplis. Hæc, quam tradidimus, regula pro cognoscenda salium neutrorum saturatione, quæ sane passim multum interest, quamvis ipsa per se tutissima sit atque certissima, semper tamen non sufficit in eum finem, ut necessarius & fixus saturationis gradus deprehendatur. Hinc chimicis diversa criteria sive reagentia proponuntur, quibus superabundantia aut unius, aut alterius principii, ex quo salia neutra conflantur, indicatur. Verum hæc, quæ proponuntur subsidia, fallacia sunt & ambigua saltem non raro deprehenduntur; qua de re alibi me dixisse memini jure conqueri celeberrimos chymicos. Hinc nihil tutius nihilque ex altera parte facilius criterio saporis esse potest, ut scilicet nec sapor acidi, nec sapor basis se exerat, bene vero sapor quidam salsus, sui generis peculiaris, & singulis salium generibus proprius. Hoc sane subsidio quisque in arte chymica expertus accuratam saturationem salium prædictorum facilius agnoscit, quam alio quocumque criterio; quod saturationis punctum hoc eodem subsidio agnoscere poterit etiam, ubi alcali aut terræ puræ sive acido carbonico destitutæ adhibeantur. Quæ quidem bases adhibendæ non sunt, non quod proposito fini inservire non possint, sed ut magis caveantur in hac re pericula, quæ possent oriri, utque facilius agnoscatur saturationis punctum.

Ubi vero de sale ageretur, quod pro base alcali haberet, opportunissimum est radicem *rhabarbari palmati* contritam in pulverem adhibere pro dignoscendo basis excessu, cum illud criterium sit tutum, ac constans ad detegendam cujuscumque portionis alcali præsentiam, ut alibi ostendi, ac videri poterit ubi de RHABARBARO.

Ad dignoscendum autem acidi excessum in salibus neutris utiliter adhibetur tinctura Heliotropii, dummodo parata fuerit aqua distillata & satis diluta.

Attamen in aliquibus salibus ut tutiores simus, hæc non habere basis excessum, magis expediet aliquantulum eorum acidum abundare, cum nihil ab hoc exiguo acidi excessu timeri possit, multum a basis excessu. Ejusmodi sunt TERRA FOLIATA TARTARI, TARTARUM SOLUBILE, & LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATI.

Cæterum ad obtinendam salium neutrorum accuratam, intimam, ac facilem, quantum fieri potest, saturationem plurimum juvat sæpe agitare mixtionem salinam, aliqua tamen cautione, & semper usu spathulæ vitreæ; tum etiam solutionem salinam exponere aliquo temporis spatio levi calori, ac deinde ipsius saturationis periculum facere, ut ubi opus sit, pars illius principii, quod deest, eidem addatur.

Illud demum ut maxime necessarium curandum est, ut saturatio et evaporatio salium in vasis fiat aut vitreis aut lapideis, ut multa caveantur pericula.

XIII.

Ubi præscribi contingat syrupum aliquem, cujus formula in hac pharmacopæa minime indicetur, licet hoc remediorum genere ut plurimum medicina carere sine damno possit, suppleri tamen a medico facile poterit etiam ex tempore sequenti ratione. Si de syrupo aromatico agitur, cum substantia, qua ipse componi debet, copia olei essentialis abundet, satis erit portionem ejusdem cum melle conjungere; quod facilius executioni mandari etiam poterit ope modicæ mucilaginis arabicæ, aut alterius cujuslibet. Quod si substantia, quæ ad syrupum conflandum paratur, olei essentialis egestatem patiatur, infusum extrahitur satis saturum; atque in eodem in vase clauso dissolvitur per balneum maris sufficiens copia sacchari, & soluta percolatur per telam lanæ, atque in usum deducitur. Atque hæc postrema ratio adhibetur, ubi purgativi syrupi conflandi sint. Si vero sermo sit de syrupis, quorum vis pendeat a principiis fixis, minusque volatilibus, quam fuerit substantia ad id operis destinata, ubi hæc succo plena fuerit, ejus succus extrahitur, purificatur, si opus sit, atque in eodem solvitur, ut paulo antea dicebam, aliqua portio sacchari; ubi autem prædicta substantia aut prorsus arida, aut minimo succo donata inveniatur, decoctum satis saturum parari oportebit, eademque ratione deinceps progredi, quam nuper indicavi.

Quod ad eos syrupos attinet, qui parari possunt ex tempore, interea dum præscribuntur; aut qui facile renovari sæpe possunt, & quali-

bet anni tempestate, aut qui sine ebullitione, vel cum minima parari possunt, opportunissimum erit in eis uti melle loco sacchari ad dosim viginti quatuor unciarum circiter pro qualibet libra liquoris: in iis autem, qui ad durationem destinarentur, maxime in quorum præparatione utendum esset decocto aut succo, cum id obtineri non posset, nisi satis diuturna ebullitio fieret in eum finem, ut a mucore, fermento, aliisque alterationibus defenderentur, hinc prædicta mellis subrogatio loco sacchari locum habere non posset sine damno ægrotorum, cum mel quamdam ebullitionem pati non soleat, quin ipsius proprietates alterationem patiantur.

X I V.

Monendum est præterea electuaria, extracta, roob & syrupos ubi parata fuerint seponi & claudi accuratissime debere in vasis exiguis vitreis vel figulinis, ea tamen lege ut primum fuerint frigefacta, eademque rursus custodienda esse in frigidis & siccis locis; iisdemque locis servandas esse aquas distillatas easdemque claudendas in vasis vitreis subere & charta coopertis. Illud cavendum, ne loca sint adeo frigida, ut accedant, multoque minus perveniant ad gradum congelationis aquæ. Nam in hoc casu aquæ aromaticæ debilitantur, multumque detrahitur earum proprietatibus, & efficaciæ ob majorem, minoremve portionem olei essentialis, sive aromatici quæ ab eis separatur, & a quo uno aquæ hujusmodi vim suam, proprietatesque medicas mutuantur.

X V.

Quod demum ad unguenta pertinet, hæc, quæ sequuntur, observari volo. Ea servari debent in vasis vitreatis figulinis, rite clausis, & ab *aëre*, ab humiditate, & a magno calore protectis.

Rejiciantur unguenta 1. quæ odorem non præferunt substantiarum aromaticarum, ex quibus ipsa constant; 2. quæ colore destituta inveniuntur, qui dominantis principii peculiaris sit; 3. quæ demum odorem emittunt rancidum a vetustate vel ab ignis actione perceptum.

X V I.

Medicamentorum doses in hac Pharmacopæa exhibere nec inutile, nec inopportunum censui. Has ego referam suis quasque locis earumque dimensiones a minimis usque ad summas indicabo, & quæ sumi debent intra spatium viginti quatuor horarum vel repetitis vicibus sæpius aut rarius pro varia morbi, medicamenti, & aliarum circumstantiarum indole, & concursu.

Quod tamen dum exequor, non intelligo indicatam seriem dosium in medicaminum præscriptione alterari aut temperari omnino non posse. Nec enim ignoro remediorum doses varias pati posse, immo & debere modificationes, ratione spectata ætatis, climatis, sexus, temperamenti, vitalium virium, indolis morbi, ejusque durationis, alimentorum, & exercitii generis, & conditionis ægroti, aliarumque plurium circumstantiarum, quæ passim emergunt. Sed illud

quoque certissimum est, plurimi interesse seriem dosium in remediorum præscriptione accurate, prudenter, & caute exhibere; idque maxime utile censeo pro junioribus medicis, quorum præsertim utilitati studeo hoc qualicumque labore meo ad errores & ambiguitates arcendas, in quas cum ægrorum damno non raro juniores incidere solent. Cæterum recte monet clar. Lieutaudius *expedire ut quisque quamdam seriem dosium sibi concinnet, quam Enchiridii instar diurna manu versandam alta mente reponat.*

Illud universim Medicus habere præ oculis debet in remediorum præscriptione, quæ dicuntur heroica, & quorum vis & efficacia nondum clare innotescit, incipiendum semper esse a minimis eorum dosibus, nec istas augendas esse nisi per gradus maxima diligentia & cautione.

X V I I.

Servanda insuper est mundities summa vasorum & reliquorum omnium instrumentorum, quæ in pharmacopoliis adhibentur. Exulent insrumenta ex CUPRO, AURICALCO, confecta in tractandis, præparandis, asservandis salibus, salinis, oleosis, saponaceis &c. hinc nunquam admittenda pro dictis usibus mortaria, cochlearia, pistilli, aliaque instrumenta adhiberi solita, quæ ex cupro, auricalco composita sint. Adhibeantur mortaria lapidea & ferrea; ex ferro constent libræ majores, cochlearia &c., libræ vero minores ex ebore; itemque exigua mortaria, spathulæ &c. ex vitro, vel ligno solidiori. Idem dicendum est de STANNO, quod sæpe PLUMBO

adulteratum inveniatur; quare numquam extracta, roob, electuaria &c. in vasis stanneis asservanda sunt; horum igitur loco adhibeantur vasa argillacea, quæ plumbo incrustata non sint.

Quæ sane monita de CUPRO & PLUMBO vitando experimentis nituntur satis notis seu malis symptomatibus, quæ ex effectibus PLUMBI & CUPRI se prodiderunt, de quibus tam multa scripserunt celebriores *medici*. Inter præcipua opuscula, quæ de hac re nuper edita sunt, lectu dignæ sunt elucubrationes duæ cl. *Fothergillii*, quarum una est de veneno CUPRI, altera de PLUMBI veneno, insertæ diario Anglicano vol. 5. cui titulus est: *Letters and Papers &c. Batt.* 1792.

XVIII.

Pondera medicinalia maxime expediret esse generatim æqualia. In hac Pharmacopæa monere juvat libram constare duodecim unciis, unciam octo drachmis, seu viginti quatuor scrupulis, drachmam scrupulis tribus, sive septuaginta duobus granis, scrupulum viginti quatuor granis constare. Nec præterire volo vasculum & cochleare, quorum mentio in eadem pharmacopæa passim fiet pro mensura, qua exhibenda remedia sunt, equivalere, prius unciis tribus, alterum unciæ dimidio circiter. ANA demum vel anatica portio denotat æqualem diversorum medicamentorum dosin.

PARS PRIMA.

MATERIA MEDICA.

A.

ABSINTHIUM VULGARE OFFICIN. [*Artemisia Absynthium Linnæi.* Medeghetto *Longobardorum.*

Planta perennis & suffrutex crescit in ruderatis, & aridis locis; apud nos colitur etiam in hortis. Adhibetur HERBA interne in pulvere a dimidio scrupuli usque ad dimidium drachmæ bis vel ter in diem, sed sæpius in infuso a dimidio drachmæ usque ad tres; quando in pulvere præscribitur, quod raro contingit, passim sub forma electuarii & simul cum aliis remediis adhibetur; externe vero in decocto a duabus drachmis ad sex reddita colatura duarum librarum decocti, & aliquando utilius conjuncto sali muriatico. Paratur EXTRACTUM, quod deprehensum est continere sal ammoniacum.

In annalibus chymiæ clarissimi *Crellii* ann. 1789 part. IX. legitur quemdam *Kunsemuller* dictum instituisse chymicam analysin ABSYNTHII, ipsumque asseruisse, se non potuisse detegere amaritudinem nisi in exigua copia RESINÆ, quam in ipso reperiit.

ACETUM VINI ALBI. *Acidum acetosum.*

Optimum ACETUM censetur, quod limpidum sit, purum, acidum & gratum, & quod

majori quam quadragesima sui parte salibus alcalinis saturatur, alioquin effœtum acetum habetur. Acetum vini quo majorem acorem habeat, eo certius suspicari licet oleum vitrioli esse adjectum. Nihil quidem noxæ parva hujus acidi adjecti quantitas affert. Plurima autem pars aciditatis, si ab acido vitriolico majori ex parte profluat, noxios effectus, variaque incommoda producere potest.

Ut agnoscatur, an admixtum sit ACIDUM VITRIOLI, instillari potest calcis in aceto forti solutio aceto suspecto, & ubi limpidum persistat, purum acetum est: cui vero admixtum sit acidum vitrioli; illud turbatur ac sedimentum dimittit. Sumi etiam potest ad cognoscendum, an aceto inhæreat ACIDUM VITRIOLI, parva hujus aceti portio, eique instillari ACETI SATURNI guttæ aliquot; & mox orietur præcipitatum album, quod affuso ACIDO NITRI statim iterum solvetur, si ab acido vitrioli liber sit liquor; nisi solvatur, sed liquor turbidus maneat, indicium est, acidum vitrioli ipsi inhærere. Addi etiam potest pro tutissima regula hoc aliud periculum: saturetur portio suspecti aceti, antea evaporatione ad tertiam sui partem reducti, cum SALE TARTARI ALCALINO purissimo. Filtretur deinceps & evaporetur, donec perveniat ad densitatem fluidi julepi. Tum frigefacto liquido TARTARI VITRIOLATI crystallos invenies in vase, ubi cum ACIDO VITRIOLI acetum adulteratum fuerit. Hoc ipso periculo satis apte dignoscitur etiam existentia ALUMINIS in aceto, quo casu, cum liquidum filtratur, colligitur præterea terreum sedimentum.

Pro internis usibus præscribitur mixtum vel dilutum in aqua, donec ista acquirat gratam aciditatem (cui aliquando additur parum sacchari vel mellis) usque ad duas uncias & ultra. Interdum etiam præscribitur addendum quibusdam mixturis a duabus drachmis ad sex. Externe vero vel solum adhibetur, sæpius ad odoratum excitandum, vel mixtum cum aqua aliisque fluidis pro gargarismis, fomentationibus &c. Cum vero misceatur aquæ per partes circiter æquales, nomen sibi vindicat OXYCRATUM. Paratur ACETUM SCILLITICUM, SATURNI, OXIMEL SIMPLEX, SPIRITUS MINDERERI &c.

Acetum autem explere debet vices ACIDI LIMONIORUM in omnibus pene casibus in curatione pauperum, præsertim cum vel ratione tempestatis, vel regionum haberi non possint sine magnis expensis. Expediet in hisce casibus etiam utilius acetum conjungere cum aliquantulo GUMMI ARABICÆ aut GUMMI ALIORUM FRUCTUUM, quoniam acetum huic principio conjunctum multo magis accedit, ut observat *Morveau* ad indolem ACIDI LIMONIORUM seu CITRICI.

ACONITUM OFFICIN. *Aconitum Napellus L.*

Planta perennis crescens in montibus & alpibus. Adhibetur HERBA RECENS ad parandum EXTRACTUM.

ÆRUGO, sive ÆS VIRIDE. *Cuprum aceto oxydatum.*

Adhibetur ad usus externos. Eligatur in

massis coloris cœrulei viridis, acris saporis, quæ nec facile frangantur, nec ad aëris contactum humidæ fiant.

ALOE SUCCOTRINA OFFICIN.

SUCCUS FOLIORUM INSPISSATUS ex *aloe perfoliata L.* Qui habetur ex Indiis & naturam habet gummosam resinosam. Datur in pulvere, sed sæpius in pilulis a decem granis ad scrupulos duos. Sed ob ejus saporem nimis amarum atque molestum expedit eum exhibere obtectum nubeculis; ea tamen semper cautione servata in ejus præscriptione, quæ observari debet etiam in cæteris præparatis, in quibus aloe tamquam pars ingrediatur, ut non porrigatur præsertim mulierculis gravidis, nec laborantibus morbo hæmorrhoidali, cum hujus remedii vis se maxime exerat in uterum & in vasa hæmorrhoidalia.

Seligatur ALOE SUCCOTRINA, quæ sit pellucida & nigrorubea, & quæ comminuta colorem exhibeat ex aureo fulvum.

ALTHÆA OFFICIN. *Althæa Officinalis L.*

Planta perennis, quæ crescit apud nos in locis subhumidis, & argillosis. Adhibentur FOLIA & RADIX, quæ mucilagine magis abundat, quam folia, atque hæc externe præbentur in decocto; in pulvere autem pro cataplasmatibus, pro quibus etiam radix adhibetur; sed præterea sæpius interne in levi decocto a duabus drachmis ad unciam unam, cui tamen expedit inter-

dum addere parum RADICIS LIQUIRITIÆ, maxime si oporteat nauseam avertere.

Hæc una planta, aut ejus loco MALVA unice supplet QUATUOR HERBIS, quæ EMOLLIENTES dicuntur. Mucus, qui ex RADICE extrahitur, ut ferunt, præferri aliis meretur; utpote aptior solvendis & facilius, & copiosius RESINIS, GUMMI-RESINIS, & OLEIS in aquosis vehiculis.

Decoctum potissimum ex RADICE ALTHÆE conflatum maxime pro fomentationibus & cataplasmatis conficiendis locum lactis tenere commode potest, & interdum præferri meretur; tum quia hæc substitutio fit cum minori dispendio, & eumdem exitum habet, & ex altera parte hoc decoctum serius acescit, sive alteratur, quam LAC, quod utpote pronius alterationi malos non raro effectus parere potest. Minus quidem palato jucundum, si ad instar collutorii adhibeatur; vel si substituendum esset, quod fieri posset, etiam pro usibus internis. Sed hoc incommodum arceri facile potest, si parum LIQUIRITIÆ decoctioni adjungatur.

ALUMEN ROMANUM seu RUPEUM, seu CRUDUM. *Sulphas acidulus aluminæ.*

ALUMEN eo purius, quo magis colore caret. Præscribitur pro usibus internis & externis tam in pulvere, quam solutum; sed interdum pro internis usibus simul cum TERRA CATECHU, aut cum SACCHARO. Dosis autem, qua præscribi debet, sit a decem granis ad drach-

mas duas, cum in dosi majori ingratum fiat, ac stomacho afferat molestias & anxietates.

Inservit ad parandum ALUMEN USTUM, & SERUM LACTIS ALUMINOSUM.

AMMONIACUM OFFICIN.

GUMMI RESINA plantæ adhuc ignotæ, quæ creditur *Umbellatæ* stirpis; ab India Orientali, & Ægypto advecta melior exhibetur in granis ad instar amygdalarum aliquatenus lucidis, purisque, albis, fragilibus, facile reducendis in pulverem, qua exiguo igne emolliuntur, & odorem habent vehementem mixtum, ex alliaceo magis, minus ex Castoreo. Respuitur altera in magnis massis & faecibus referta.

Datur interne a dimidio scrupuli ad drachmas duas in pilulis, sed saepe simul cum extractis amaris, aut saponaceis, & datur soluta; applicatur etiam externe præcipue in aceto soluta, modo simplici, modo scillitico; ac præterea tanquam pars ingreditur in multa emplastra. Ubi interne exhibenda sit soluta, opus non est alicujus rei intermediæ, cum ipsa utpote continens plus gummosæ quàm resinosæ substantiæ per se solvatur in aqua, si in mortario agitetur: imo liquorem exhibet, qui simulat emulsionem.

AMYGDALÆ DULCES OFFICIN. *Amygdalus communis L.*

Arbor sponte nascens in Africa Septentrionali, excolitur copiose in Europa Australi. Adhibentur NUCLEI. Paratur EMULSIO. Sed ante-

quam adhibeantur, defricentur accurate in panno, ut a pulvere liberentur, quem habent in superficie.

ANGELICA OFFICIN. *Angelica Archangelica L.*

Planta perennis, & interdum biennis crescens in Alpibus. Adhibetur RADIX, quæ datur in pulvere a dimidio scrupuli ad drachmam unam, & in infuso aut levi decocto, in quo sæpius datur ab una ad drachmas quatuor. Hoc remedium equivalere etiam potest CONTRAYERVÆ. Jucundior redditur ejus decoctio, si quidpiam LIQUIRITIÆ adjungitur.

Aliquando *sylvestris*, quæ longe minus efficax est, alteri dolose substituitur. *Sylvestris* in locis humidis nascitur, habetque flores rubellos, cum altera flores habeat virescentes; ejusque radix sit admodum tenax, multoque fragrantior, exhibeatque copiose puncta flava, si transversim secetur.

ANISUM VULGARE OFFICIN. *Pimpinella anisum L.*

Planta annua, quæ crescit in Orientalibus regionibus, sed colitur etiam in Gallia, in Saxonia superiori, aliisque locis. Adhibentur SEMINA. Præferantur Hispanica, aut crassiora, magisque nutrita, puriora, suavis odoris, dulcisque & aliquatenus extimulantis saporis.

Dantur in pulvere, sed rarius a sex granis ad drachmas duas, & in infuso ab uno ad duodecim scrupulos. Hæc bono exitu adduntur re-

mediis purgativis saccharinis & resinosis, inserviuntque aliis remediis gratioribus efficiendis; mixtaque explere possunt vices aromatum majoris pretii; ut CINNAMOMI; CARYOPHYLLI &c.

ANTIMONIUM CRUDUM. *Sulphuretum Stibii nativum.*

Oportet sit illud longis & splendentibus striis donatum, & sub igne strenuo totum exhalet. Illud vero rejiciatur quod instructum apparet acubus coloris rubei-obscuri, quod ubi incendatur, allii odorem emittit, & quo, si cum multa aquæ distillatæ copia ebullitioni subjectum fuerit, aqua, si deinceps filtretur, efficitur turbida ope aliquarum guttarum hepatis sulphuris in aqua distillata soluti. Quod ostenderet antimonium arsenico infectum esse. Illud pariter rejicendum, quod si cum aceto ebulliat, eidem dulcem saporem communicet: id enim indicaret in eo plumbum contineri.

Pro usibus internis præparatum adhibetur; de quo sermo erit in parte altera; & inservit parando PULVERI ALGAROTTI & SULPHURI AURATO ANTIMONII.

ARGENTUM. Utimur eo ad parandum LAPIDEM INFERNALEM.

ARNICA seu DORONICUM GERMANICUM OFFICIN. *Arnica Montana L.*

Planta perennis germinans in frigidioribus

Alpibus, apricisque locis pratensibus, ut in Helveticis &c. Sumuntur FLORES & RADIX. Subministrantur FLORES seorsim ab eorum calicibus interne & externe tam in pulvere quam in decocto. Pro usibus internis si dentur, in pulvere præscribuntur a quindecim granis usque ad quadraginta & etiam usque ad drachmam unam & pro maxima dosi usque ad tres, aucta tamen per gradus, & sæpe in electuario; cum vero in decocto dantur, ab una ad quatuor drachmas, cui aliquid mellis, vel syrupi expedit adjungi. RADIX autem interne adhibetur in pulvere infra tres ad dimidium drachmæ, in infuso infra sex ad unam drachmam. Sæpe contingit tam RADICEM quam FLORES cum aliis remediis sub variis formis conjunctim adhiberi. Maximi interest præsertim FLORES caute adhiberi, quoniam non raro excitare solent vomitus, anxietates, & tormina vehementia.

ASSA FOETIDA OFFICIN.

GUMMI-RESINA, quæ trahitur ex radicibus *Ferulæ Assæ fœtidæ L.* Ducitur ex Persia & Indiis. Paratur TINCTURA. Seligatur prædita odore gravissimo accedente ad alliaceum, in massulis puris, compactis, & coalescentibus ex lacrimis lucidis, interspersis albentibus maculis roseis, luteis. Rejicitur impura & subnigra.

Datur in pilulis & soluta infra duas drachmas ad dimidium scrupuli, quæ augetur ab una ad drachmas tres, si detur in usum clysteris. Ob ejus fœtidum odorem ut plurimum sub pilu-

larum forma præscribitur; ubi vero adhibenda sit soluta, ut semper fit in clysteribus, utendum erit vitulo ovi, aut aliquo muco seu mucilagine. Qui modus semper retineri debet in præscriptione omnium GUMMI RESINARUM, quæ magis abundant partibus resinosis, quam gummosis.

ASARUM OFFICIN. *Asarum Europeum L.*

Planta perennis nascens in nemoribus umbrosis præsertim Europæ Meridionalis. Adhibetur RADIX potissimum prædita sapore acre-aromatico, gravique odore ad valerianam accedente.

Datur in pulvere a tribus ad duodecim grana, & pro maxima dosi ad unam drachmam, & in infuso infra duas drachmas ad scrupulum unum, cui expedit sæpius quidpiam aromatici adjungi, & aliquando etiam superaddi parum mellis. Observant aliqui practici, si in decocto præbeatur, vim emetici amitti, ejusque loco aquiri vim diuretici; quare cavendum ab ebullitione, quotiescumque præbeatur ad instar emetici.

Ejus actio tam energica est, ut aliquorum Illustrium Practicorum judicio fere adæquet actionem HIPECACUANHÆ, quod maxime facit ad propositum scopum pro pauperum usu, unde optandum esset, ut medici per novas experientias hanc vim confirmarent; qua confirmata excludi tunc posset omnino Hipecacuanha, majoris pretii quam ASARUM.

AURANTIUM OFFICIN. *Citrus Aurantium L.*

Arbor habitans in Indiis, quæ colitur in viridariis maxime calidarum regionum. Adhibentur FOLIA, quæ a ceteris distinguuntur per appendicem, quam habent ad instar cordis in petiolo. Dantur in pulvere a dimidio drachmæ ad quatuor, & in infuso a duabus drachmis ad dimidium unciæ.

AXUNGIA PORCI, usibus externis inservit, depurata tamen, ut in altera parte dicemus.

B.

BARDANA OFFICIN. *Arctium Lappa L.*

Planta biennis crescens apud nos in viis & maceriis. Adhibetur RADIX, quæ sumitur in decocto, cui color viridis communicatur, & efficax remedium est. Cum recens datur, præbetur a duabus ad decem drachmas; exsiccata vero præbetur infra quatuor ad unam drachmam. Adhibentur etiam FOLIA ad usus externos, viridia tamen, & utilius eorum succus, ut inter alios monet clariss. *Hufelandius.*

BELLADONNA, seu SOLANUM FURIOSUM OFFICIN. *Atropa Belladonna L.*

Planta perennis, quæ invenitur in Sylvis cæduis, incultisque locis Helvetiæ, Austriæ, Germaniæ, Angliæ, Belgiæ, Galliæ, Italiæ &c. Adhibetur RADIX & FOLIUM, interne frequen-

tius RADIX, quæ datur in pulvere simul cum saccharo vel alio excipiente a duobus granis ad decem in plures dividenda partes aucta lente dosi per gradus; dantur & FOLIA pro externis usibus, & aliquando pro internis, & in hoc casu utilius in infuso infra viginti grana ad tria cum sex unciis aquæ. Cæterum tam RADIX quam FOLIA subministrari debent summa cum cautione. Nam ubi nimis augeatur dosis, veneficum remedium evadere potest, vel saltem varia non exigua incommoda parere, siccitatem ex. c. faucium, vertigines vehementes, obfuscationem visus, pupillarum dilatationem &c, quæ cum acciderint commendant aliqui pro remedio continuo sumendum largum aquæ frigidæ potum; tum etiam nonnulla aceti cochlearia. Hujus remedii plurima fecit experimenta nuperrimus auctor *Henricus Munch*, qui asserit se ope hujus remedii centum & septuaginta sex morbo hydrophobiæ laborantes feliciter liberasse, ex quarum insigni curationum numero quindecim selegit & typis vulgandas curavit.

In hac RADICE colligenda maximi interest opportunum tempus eligere, quod esse debet ante caulis ipsius nimiam productionem.

BRYONIA OFFICIN. *Bryonia Alba L.* Zucca selvatica Longobard.

Planta perennis, quæ apud nos reperitur in sepibus opacis. Sumitur RADIX, quæ datur interne in pulvere a decem granis ad unam drachmam, & in infuso infra duas drachmas ad dimidium drachmæ: loco vehiculi esse potest aqua,

vinum, vel serum lactis. Utiliter adhiberi potest loco SCAMMONEI & GUMMI GUTTÆ, cum habeat æquivalentem actionem, & vim, & longe minori pretio acquiratur, & omni careat adulterationis periculo. Præberi tamen debet in majori copia, quam dari solent alia remedia, quibus subrogatur. Caute tamen semper adhibetur cum malos parere possit effectus, ut sunt vomitus, hypercatharsis, insania, stupor, anxietas, vertigo &c. Aliquando præscribitur etiam pro usibus externis.

C.

CALAMUS AROMATICUS OFFICIN. *Acorus Calamus L.*

Planta perennis in Indiis Orientalibus spontanea tam in humidis, quam in siccis & elatis locis. Adhibetur RADIX & datur interne in pulvere cum saccharo, sæpius additur aliis remediis; dosis est a dimidio scrupuli ad drachmam unam, & dimidiam, in infuso autem præscripta infra quatuor drachmas ad unam; & aliis etiam infusis adjungitur. Paratur quoque TINCTURA.

Eligatur crassitie saltem unius digiti, saporemque præseferat aromaticum, acrem, calidum, ac leniter amarum, odorem emittat fragrantem, præsertim dissectus. Cavendum autem ne ipsum teredo corripuerit, quod solet frequenter accidere. Hoc remedium maxime pro pauperum usu multis stimulantibus remediis majoris dispendii præferendum est, præcipue cum ipsius efficacia hisce superior dici possit.

CALX VIVA inservit parandæ AQUÆ CALCIS, & LIXIVIO CAUSTICO.

CAMPHORA OFFICIN.

SUBSTANTIA CONCRETA, quæ elicitur ex Arbore *Lauri Camphoræ L.* e Japonia. Huc affertur a Batavis, a quibus nova quadam operatione depuratur.

CAMPHORA in eo statu, in quo e Japonensi provincia ad Europam defertur, multam redolet impuritatem, ut propterea ejusdem purgatio curas maximas exigat Batavorum. *Proust* multa experimenta in camphora fecerat, sibique visus est detexisse secretam Batavorum artem, quæ in ejusdem purgatione adhibetur. Videatur *Journal de Physique*.

HÆC non uno titulo cum puris resinis convenire videtur, sed aliis rationibus ab ipsis differt, ac se prodit naturæ prorsus peculiaris. Ipsa recipitur coacta in massas orbiculares, leves, coloris candidi, & compaginis cristallinæ, facile frangibiles, aliquantulum pingues, tenaces, admodum fragrantes, halitumque rorimarino similem effundentes.

Exhibetur interne pro pueris ab uno ad sex grana; pro adultis a sex, a dimidio drachmæ usque ad integram drachmam, sed raro, & in maniacis usque ad dimidium unciæ, in pilulis & soluta, minus apte in pulvere, qui cum nimis volatilis sit, facile evanescit. Adhibetur quoque pro usibus externis, & pro clysteribus in dosi infra tres drachmas ad dimidium drachmæ. Per eam paratur SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

Conservari debet in vasis hermetice clausis, locisque frigidis, quoniam citissime in auras avolat non custodita ab *aeris* accessu. Si redigenda sit in pulverem, teritur paucis guttis aquæ aut alcohole. Si dissolvenda in aliquo vehiculo aquoso, oportet eam diu agitari in vitreo, seu lapideo mortario cum aliqua portione alicujus mucilaginis; massa vero, quæ inde efficitur, paulatim solvitur in eo fluido, quod libeat. Haec vero solutio melius expletur, si antea solvatur in aliquo oleo, aut alcohole pro circumstantiis, ac deinde continuetur operatio ut supra.

CANTHARIS OFFICIN. *Meloe Vesicatorius L.*

Insectum quod invenitur in locis Septentrionalibus, frequentius in calidioribus, ut in Hispania, Gallia, Italia &c. delectatur Fraxino, Ligustro; Populo, Sambuco &c. INTEGRUM INSECTUM sumitur, illudque morte afficitur ope vaporum aceti, vel per immersionem in isto, & deinde exsiccatur.

Paratur TINCTURA SPIRITUOSA, & EMPLASTRUM VESICATORIUM: raro pro interno datur ejus tinctura, rarius in pulvere, & in utroque casu cautissime; externe vero frequenter.

Si danda sit interne aliquando in pulvere incipiendum est a sexta grani parte ad dimidiam, deinceps ad unum, & gradatim ad maximum gradum perveniendum quinque granorum, miscenda vero cum saccharo ac præscripta dosis repetitis vicibus suscipienda. Consuluerunt aliqui CANTHARIDES porrigere in infuso, sive ebullitas in duabus unciis ACETI FORTIS in dosi

quatuor granorum ad decem, & percolatum liquorem unica vice sumendum, quod maxime adversus hydrophobiam commendarunt.

CANTHARIDES vim suam exerunt potissimum in vesicam & renes. Creditur cum additione camphoræ CANTHARIDES tutius posse adhiberi, sed nunquam satis inculcatur cautissime esse adhibendas, nec nisi judicio peritioris medici, & melius esse pro usibus internis ab iis abstinere, cum sic periculum caveatur, ne mali pariantur effectus, quos sæpe peperisse internum earum usum observationibus constat, nauseam nempe, violentosque evomitionis conatus, acutas colichas, molestamque sitim, viarum urinae inflammationes (quae ob quasdam circumstantias aliquando contingere observatum est etiam in externa Cantharidum applicatione) atque hinc ingentem ardorem urinae, mictumque cruentum &c., quod si magna dosi praebeantur, oritur gangræna & corrosio ventriculi, convulsiones vehementes, atque vel ipsa mors non raro nascitur. Quæ dum moneo, videri possum aberrare ab instituto meo, sed veniam mereri puto, cum de vitæ periculo agatur, cumque mihi ut monui ab initio propositum sit juniores præsertim medicos dirigere. Quod semel dixisse sufficiat ne id repetere cogar, quotiescumque acturus de hoc remediorum genere easdem observationes præbuero.

Interea si quæ dixi incommoda malo infortunio nascantur, reparari possunt, ubi emetico amplius locus non sit, præscriptione copiosarum demulcentium bibitionum, sive istae sint decoctiones, sive emulsiones, vel lactis, vel olei;

sive aliquorum judicio longe utilior camphorata emulsio.

Esse debent INSECTA exiguæ molis, integra, recentia, graveolentia, non pulverulenta. Servari debent in vasis satis clausis, quotannis renovari, nec in pulverem redigi, nisi cum iis utendum sit. Eorum vis vesicatoria in resinosa substantia invenitur. Pauca hujus substantiæ grana magnam vesicam producunt.

CATECHU, seu improprie dictum TERRA JAPONICA OFFICIN.

Nil aliud est nisi EXTRACTUM SICCUM, quod elicitur ex Arbore *Mimosa Catechu L.* quæ in Indiis germinat, & constat maxima ex parte gummosa substantia, & parva copia resinæ.

Adhibetur in pulvere, & solutum a dimidio scrupuli usque ad duas drachmas. Mixtum cum aliqua portione aluminis explere vices potest SPECIFICI ut ajunt HELUETII aut ALUMINIS TINCTI MYNSICHTI, sive ALUMINIS DRACONISATI tantopere celebrati etiam a *Baldingerio* & *Keuppio*. Parum dispendiosum est, & utilius adhiberi potest loco GUMMI KINO. Seligendum tamen est optimum; nam sæpe & facile adulteratum invenitur.

Optimum hisce notis discernitur: durum est, non friabile, nec fragile, sed rigidum; colorem habet rubrum, subnigrum, interne parumper lætiorem, lamellatim dispositum est, facile in ore, integre in aqua solvitur, saporemque non ingrate adstringentem habet. Rejiciendum fragile, firmiore consistentia destitutum, quod ni-

grum apparet, adustum, ingrate sapidum, & acerbum, impurum, nec omne in aqua solubile.

CENTAURIUM MINUS OFFICIN. *Gentiana Centaurium L.*

Planta annua, quæ apud nos habitat in locis aridis & in pratis. Adhibentur SUMMITATES FLORIDÆ, & dantur in pulvere, sed sæpius in leni decocto ab una ad quatuor drachmas.

CERA CITRINA.

Eligenda recens, solida, aliquatenus tactu glutinosa, coloris nitide flavi, gratique odoris paullulum analogi odori mellis, & insipida.

CERUSSA ALBA. *Plumbum aceto oxydatum.*

Hæc destinatur tantummodo ad usus externos. Sæpius CERUSSA adhibetur in excoriationibus integumentorum ab humore acri productis, aliisque morbis humidis cutis, speciatim vero ad curandas partes infantium urina corrosas. Sed nunc clariss. Medici atque Chirurgi ut *Boerhaavius*, *Percival*, *Brambilla*, *Schmidt*, aliique non paucis observationibus nixi nos monent, præparationes plumbi etiam externe applicatas non exiguum detrimentum attulisse. Quare abstinendum esset ab usu cerussæ in pueris, quorum partes corrosæ, tenellæ cum sint, facile absorbere possunt cerussæ particulas atque ad interius systema advehere, ex quo oriri possunt illi mali effectus, quos parere solent præparatio-

nes plumbi interne adhibitæ. Dolendum, hunc usum cerussæ maxime in Longobardia parentibus atque nutricibus familiarissimum esse; ut propterea probabile censeri possit, colicam, convulsiones, aliaque incommoda, quæ in aliquibus infantibus deprehenduntur, sæpe ab hoc usu manare. Optandum igitur, ut id abeat in desuetudinem, cum alia remedia in promptu sint innocua prorsus & iisdem viribus prædita, ut sunt pulvis LYCOPODII, AMYLI aliaque hujusmodi.

Seligatur alba in pannis non adeo crassis, ponderosioribus, gustui subdulcibus, nec multum effervescentibus, mixtis cum acidis. Paratur ACETUM SATURNI & UNGUENTUM CERUSSÆ.

CHAMOMILLA VULGARIS OFFICIN. *Matricaria Chamomilla L.*

Planta annua, quæ apud nos nascitur inter segetes. Adhibetur FLOS & datur interne aliquando in pulvere tam solus, quam cum aliis remediis ab una ad drachmas sex, sed frequentius in infuso eadem dosi; etiam externe adhibetur in pulvere, nunc per siccum fomentum, nunc ad componendum cataplasma; demum in levi decocto pro externis usibus usque ad unciam unam in percolatione duarum librarum decocti ad instar balnei vel fomenti &c. Et adhibetur pro his usibus tam ipse solus, quam cum aliis aromaticis substantiis commixtus. Vis hujus remedii præclara est, & parit optimos effectus, ut usus & experientia quotidiana commonstrant.

Sedulo cavendum est, ne FLORES prædicti cum floribus COTULÆ FOETIDÆ confundantur. Discrimen exhibet tum odor, tum paleæ setaceæ, quæ inveniuntur in COTULÆ receptaculo.

CHINCHINA, seu PERUVIANUS CORTEX OFFICIN. *Cinchona Officinalis L.*

Arbor crescens in Regno Peruviano, maxime in montibus Loxæ, successu temporis detectus etiam in quibusdam montibus Americæ. Adhibetur CORTEX ex ramis avulsus interne in pulvere, qui modo in aqua præbetur, modo in vino, nunc etiam sub forma electuarii infra duas ad dimidium drachmæ bis, ter & etiam sex vicibus in diem pro variis circumstantiis repetendus. Aliquando licet raro etiam dimidium unciæ pro vice præscribitur. Datur quoque sæpissime in decocto infra decem ad duas drachmas pro unica libra decocti.

Sæpius augetur vis & utiliter miscetur cum aliis remediis pro necessitate rei, ut cum ELÆOSACCHARIS, aut cum aliis AROMATICIS, aut cum SALE TARTARI ALCALINO, quod in rachiticis juvare expertus est Clariss. *Plenkius*, aut cum VALERIANA, FLORIBUS ARNICÆ, MERCURIO DULCI, CAMPHORA, MYRRHA, cum OPIATIS, ANTIMONIALIBUS, SCILLITICIS, MARTIALIBUS, SALE AMMONIACO &c. Sic utiliter in morbis scrophulosis &c. misceatur china inter alia cum mercurio dulci; in variis hydropisiis cum remediis scilliticis, aliisque diureticis; cum aliquo grato aromatico ad im-

pediendam evomitionem; idemque interdum præstat opium, & rursus continere valet nimias per secessum evacuationes; juvat præterea chinæ conjunctio cum radice valerianæ sylvestris, cum floribus Arnicæ, cum tartaro emetico, cum sale ammoniaco, itemque cum opio &c. in febribus intermittentibus obstinatis; atque idem dicendum de aliis exemplis.

Habet denique usus etiam externos vel simpliciter in pulvere, vel isto redacto sub forma cataplasmatis; vel in decocto, quod bene saturum inservire egregie potest adhibitum pro fomentationibus atque clysteribus, & maxime ubi pro circumstantiis impediatur usus internus chinæ in substantia, quo in casu solet passim præscribi etiam sub forma cataplasmatis. Paratur SYRUPUS. At diligentia maxima utendum est in delectu chinæ.

Perfectior est cortex, qui nascitur in locis eminentioribus. Seligatur in cannulis in se ipsas inflexis, quarum giri quo plures sunt, eo certius indicant eas e ramis debita proportione maturis avulsas esse, easque diligenter exsiccatas fuisse, quod multum interest ad ipsarum perfectionem: crassitudo seu volumen sit medium, non multum pollicem excedat, nec minus sit calamo. Spissitudo circiter unam lineam adæquet, nec minor sit tertia ejusdem parte. Superficies interna colorem habeat rubrum accedentem ad colorem cinnamomi, & melius si cinnamomo color vividior fuerit; externa vero scabra sit, non levis, sit rimosa subfusci coloris, & licet non semper, attamen sæpe lichene albo, cinereo, subtili hinc inde obducta; niger color corruptum corticem

indicat; non sit pallido-flava, nec læte rutilans: nam id indicaret de aliis arboribus lectam. Ponderosior pro ratione voluminis. Consistentia corticis sit solida, nec tam facile fragilis: dum frangitur, se non exhibeat tenacem, aut fungosum, nec in lignea filamenta, aut in farinam cariosam dehiscentem, sed compactum, æqualiter fragilem, & resplendentem adversus solem micantibus moleculis. Odor sit leviter aromaticus, specifice mucidus, qui magis sensibilis fit, si pulveri aqua bulliens misceatur. Aut nullus odor, aut nauseosus ostendit corticem non rite siccatum, aut madefactum in navi & corruptum. Saporem habeat amarum cum vestigiis mitis aromatis, simulque acidum & austerum, non multo tamen vehementem; at sapor amarus excedere debet saporem acidum & austerum, quamvis etiam istorum uterque sentiatur. Exiguus sapor, aut viscidus, aut intense stipticus, aut nauseose amarus speciem corticis viliorem demonstrat, aut mixtam corticibus aliarum arborum, deinde aloes solutione imbutam. Decoctum corticis adhuc calidum rubescere debet, frigefactum pallescere, ac ejusdem palloris sedimen dimittere, ut monet cl. *Rosenstein.* Quam quidem notam deprehendi esse constantem & tutam.

Hisce notis optimus cortex distinguitur. Inferior in imis locis habitat, infimus in humilioribus. Crassitudo inæqualis est modo major, modo minor ea, quam indicavi. In primo casu indicatur cortex avulsus a trunco, vel ramis nimis adultis, quam oporteret, in altero indicatur avulsus a ramusculis tenerioribus, quam opus esset. Decoctum etiam frigefactum rubeum co-

lorem retinet. Vilior discrepat prorsus a notis, quas nuper exposui pro optimo cortice.

Cum utendum est CORTICE lignum si quod adhæret cortici, studiose separari debet. Prudenter etiam monemur, ut cum redigitur cortex in pulverem, antea accurate abradatur, vel saltem leni contusione teratur, ut excuti possit levis pulvis ex lichene coalescens adhærens cortici & per setaceum transiens expelli tanquam alienus & nihil efficax. Curandum dein, ut quantum fieri possit, pulvis recentissimus fiat, & subtilissimus, nihilque admiscendum, dum pulvis efficitur, quod extraneum sit. Tandem in decocto parando cavendum est, ne cortex multum ebulliat, utque ebulliat in clausis vasis.

CHINA LUTEA, seu FLAVA OFFICIN.

CORTEX est alterius speciei recenter nobis advectus. Eodem modo exhibetur, quo CHINA COMMUNIS, eo solo discrimine, quod passim dosis tertia parte circiter minor sufficiat, iisdemque regulis & monitis in praxi observandis; sed illa in multis ab altera china discrepat.

Nam hæc cannulas habet minus inflexas, crassitudinem & spissitudinem majorem; superficies interna fortius rubet, sed redacta in pulverem pallescit, minusque pallescit quam china communis. Nunc epidermide obducitur, nunc caret, & cum obducitur, ejus spissitudo major est, & ita aliquando major, ut spissitudo epidermidis spissitudinem adæquet chinæ luteæ. Hæc multo levior est altera, & friabilior, cumque ipsa frangitur, non pauca lignea filamenta com-

monstrat. Odor debilior videtur, sed multo amarior sapor, nihil tamen ingratus. Decoctum ejus dum calidum manet, paulo magis rubet, frigefactum pallidius redditur.

Recentes observationes ostendunt, hanc nihil virtute cedere chinæ communi, sed esse sæpe efficaciorem; adde minorem, ut dixi CHINÆ LUTEÆ quantitatem ad propositum finem satis esse, & ipsa per se multum minoris esse dispendii, ut propterea hoc duplici titulo hujus usus longe minus constet. Illud quoque commodum oritur, quod ingens, quæ fieri solet chinæ communis jactura, per hujus chinæ substitutionem reparari aliquatenus possit. Hisce de causis istam alteri adjungere volui. De hac fusius dixi in opusculo de china lutea, quod alias jam memini in lucem prodiisse, in quo plures animadversiones & monita inveniuntur circa utriusque chinæ usum. Hic solum admoneo, cannulas chinæ luteæ accurate separari oportere ab epidermide, si quam ipsæ contineant, quod est facile factu.

Opinio, quam de china lutea, seu flava, quoad ejus medicam vim, ab initio conceperam, ob instituta experimenta in aliquibus morbis arcendis optimo cum exitu, me impulit ad cœptam operam persequendam, mihique animum addidit ad iteranda sæpius experimenta, ut ea, quæ haberi posset, certitudine hujus chinæ vim, & energiam stabilirem, quam non sine ratione in ipsa ab initio deprehendisse mihi videbar. Exploratum enim est, ad certum de vi novi remedii judicium sanciendum exigua numero experimenta satis esse non posse, sed multa requiri, eaque multiplicia, & varia, maximaque diligentia, ac

solertia, ne bonus exitus aliquorum quandoque magis apparens, quam verus decipiat, ac deinde contingat prima de aliquo remedio tentamina, quæ fausta videbantur, oblivione postea tegi, & in contemptum adduci, ut multis medicaminibus, quæ in medicinam proferri cœperunt, evenisse novimus. Ergo ad omnem ambiguitatem in re nostra tollendam non solum quotiescumque nova occasio se obtulit, vim chinæ luteæ experiri studui, sed etiam opera usus sum medicorum præstantium, ob aciem judicii, ac solertiam singularem in experimentis remediorum faciendis. Videbam enim de re agi maximi momenti, & utilitatis. Ubi enim exitus expectationi, quam ego de china lutea conceperam, responderet, inter cætera emolumenta, quæ paulo infra recensebo, illud procul dubio maximi ponderis obtinebatur, ut cum periculum immineat ob ingentem chinæ communis consumtionem; ne ista aliquando deficiat, societas habeat in promtu aliam chinæ speciem, saltem non minoris virtutis, & efficaciæ, quæ alterius jacturam sarciat, ac ita nunquam careat chinæ remedio energico, & efficaci ad infirmorum subsidium feliciter invento.

Itaque post editionem opusculi mei de china lutea novas institui, easque multiplices de ejusdem vi, & efficacia experientias, easque ad eos omnes casus direxi ea qua potui diligentia, in quibus commendari, & adhiberi solet china communis optimo successu, atque in his par prorsus exitus ex æquo felix ab usu chinæ luteæ erat. Ut experimenta in aliis morbis facta prætereram, vel in solis febribus diversæ indolis, in quibus usus chinæ communis in substantia, vel deco-

ctione indicatur, chinam luteam loco communis successu faustissimo sub iisdem formis adhibui triginta, & amplius infirmis ita ut ne semel quidem ejusdem chinæ vis, & actio falleret: atque ab experimentis, & observationibus de hujusmodi china habitis hæc mihi colligere licuit, quæ in compendium huc redigo. 1. Chinam luteam habere vim, & actionem vere energicam. 2. Hanc in iis omnibus casibus universim expectationi respondere, in quibus indicatur china communis. 3. eam agere majore certitudinis, & celeritatis gradu, quam agere soleat china communis etiam optimæ notæ. 4. effectumque suum chinam luteam sortiri minori dosi præscriptam, quam adhiberi soleat china communis. Quibus utilitatibus hæc alia duo non sane spernenda emolumenta addi possunt. 1. Scilicet usum chinæ luteæ esse maxime œconomicum, tum quia longe minori pretio hæc comparatur, quam alia chinæ species, tum etiam quia minori dosi adhibetur, & ex aequo operatur, quam altera. 2. magis hactenus remotum ab ista esse periculum, ne adulterata sit ac bonæ substituatur altera inferioris, vel etiam pessimæ notæ; quod sane periculum imminet, ac sæpius occurrit in usu chinæ communis.

Nec in his optimis chinæ luteæ effectibus dimetiendis pro morbis cohibendis, in quibus ejus usus indicatur, & in quibus tam mirifice operatur china communis, crediderim, me decipi posse, ab ea, quam primum de ipsa conceperam, bona opinione, utpote quæ ex studio profecta est laborum, & observationum mearum de ipsa habitarum. Nam opinioni meæ suffragatur

judicium plurium excellentium medicorum, qui multo pluribus, quam ego habuerim, observationibus nixi, idem de hujus chinæ vi, & efficacia mecum senserunt. Eandem confirmat praxis & usus chinæ luteæ in Ticinensi Nosocomio, & pro pauperibus totius Urbis introductus loco chinæ communis aliquibus ab hinc annis jussu celebriorum medicinæ Professorum. Primus omnium hujus chinæ usum invenit clar. Professor *Carminati* cum huic Nosocomio præsideret; cujus vestigia deinceps secuti sunt, qui postea eidem successerunt in ejusdem Xenodochii regimine. Quod etiam nunc retinetur in hoc pio loco, cui summa cum laude præest clar. medicinæ Professor *Raggius.* Qui demum usus in dies adeo patuit, ut nunc dici possit per totam urbem fere communis, & in alias finitimas regiones, ut audio, etiam extendatur.

Visum est quibusdam medicis chinam hanc non commendari laudibus, quibus ipsa celebratur, duabus potissimum de causis; primum, quod experientia deprehensum sit, post hujus chinæ usum facile promoveri secessum; secundum quod ejus usu aliquando oriatur obfuscatio visus aliaque capitis incommoda; de quibus quidam practicus me admonuit. Hæc vero multum detrahere ipsis videntur hujus chinæ pretio, & Famæ, vetantque eorum indicio ne ipsa habeatur uti vere succedaneum remedium chinæ communi: sed hæc me nullatenus removent a præconcepta de ipsa opinione. Ad primum enim quod spectat fateor quod ipsemet non semel deprehendi, ejus usu aliquando secessum ventris promoveri. Attamen observavi id passim non

contingere, nisi post sumtas primas chinæ portiones, atque ut plurimum non nisi infirmis debilioris, & delicatioris temperamenti. Ex quo colligere pronum est, ubi recte doses temperentur, præveniri facile posse ejusmodi effectum, vel saltem tam levem effici, ut nihil impediat præcipuam remedii efficientiam, & operationem: rursus nihil me deterruit ejusmodi effectus, qui oritur ab usu hujus chinæ. Eundem etiam sæpius utilem esse observavi, id quod me duxit ad secessum illum ab usu chinæ promotum spectandum veluti peculiarem hujus chinæ proprietatem, quæ ipsam extollat supra chinam ipsam communem; quotiescunque expediat aliqua ventris exoneratio vel ipso tempore quo vel defectus vitalium virium sarcitur vel vires vitales in eorum naturali æquilibrii statu continentur. Cum enim experientia constet, secessum sub usu hujus chinæ passim evenire, quin infirmi vires debilitentur, argumentum est hunc effectum, quem china parit, nihil detrahere præcipuæ chinæ efficaciæ & virtuti. Immo inde ejusdem chinæ pretium extollitur, cum ab ejus usu maximo curæ ægroti compendio & utilitate duo consequantur eodem tempore effectus, evacuatio scilicet, & restauratio, vel conservatio virium vitalium, qui duo simul effectus expedire non raro plurimum possunt, uti in febribus nervosis, aut alterius indolis aliisque in casibus cum evacuatio contingat sine virium debilitatione, immo sine molestia aliisque incommodis, quæ comitari passim solent usum substantiarum laxantium, quæ sane effectuum conjunctio, & coexistentia vergit in

maximan chinæ, de qua loquimur, laudem & pretium.

Quod vero ad secundum attinet, primum dico non me non solum, sed nec alios quidem, qui chinæ hujus effectus diligentissime expendere studuerunt hæc, quæ jactantur, capitis incommoda ab ejus usu profecta deprehendisse. Cæterum etiam si concedamus id verum esse, quod ille se observasse asserebat, ac scilicet incommoda aliquando ab ejus usu proficisci, nihil id chinæ hujus excellentiæ, & pretio detraheret: Nullus enim ignorat ea, quæ jactantur, incommoda comitari sæpe alia remedia energica extimulantia, quæ tamen præteriri non solent, immo adhibentur summa cum utilitate infirmorum, cum aptissima indicentur ad scopum præcipuum, cui destinantur, consequendum. Illud quoque prætereundum non est, ea quæ narrantur incommoda nec semper, nec necessario comitari usum remediorum, de quibus loquimur, sed se prodere tantum in quibusdam infirmis, & sub quibusdam circumstantiis, & sub data dosi remediorum. Quare in aliis infirmis aliisque casibus, vel in iisdem si quædam præcautiones in dosi exhibenda observentur, incommoda eadem se non prodant vel facile præcaventur. Illud est certum non leves molestias & incommoda etiam ab usu aliorum remediorum, ac vel ipsius chinæ communis aliquando oriri, quæ tamen remedia præteriri non solent. Multos enim, ac fœminarum potissimum non paucas delicatioris, & irritabilis temperamenti vidi, quæ china communi uti non poterant, quin largas ventris evacuationes experirentur, non secus ac laxantia reme-

dia sumerent; fœminamque præsertim inter cæteras novi, quæ chinam communem, sive in substantia, sive in decoctione sub qualibet, vel minima dosi sumere non poterat sine largiori ventris secessu; nullo tamen incommodo se prodeunte; id quod non experiebatur ab usu cujuslibet alterius generis stimulantis remedii, quod purgativum non esset. Nihil ergo deterrere debent incommoda, quæ ab usu chinæ luteæ derivari aliquando dicuntur, cum ea, & levia sint, si contingant, nec chinæ luteæ peculiaria, & facile demum præcaveri possint, ubi opportune, & adhibitis necessariis cautionibus china administretur.

Alias fortasse observationes reperire de hoc argumento erit in opusculo meo de china lutea in linguam Germanicam verso a clar. medicinæ Professore *Titius*, & in lucem edito, quam tamen versionem ob interruptum bellorum causa litterarum commercium hactenus mihi videre non licuit; scio tamen clar. opusculi interpretem mihique dulci amicitiæ necessitudine conjunctum non paucis adnotationibus operis editionem locupletasse.

Cæterum illud est recolendum, quod in ipsa præfatione monui, ad vitandum dispendium pro usu speciatim pauperum ægrorum substitui posse alia remedia minoris sumtus, & ejusdem circiter efficaciæ, qualia in hoc opere indicare volui, vel saltem ad pauciores casus usum chinæ posse restringi sine ægrorum detrimento. Certe absolute corticem peruvianum excludi posse puto in re nostra, præsertim ubicumque ipse adhibetur pro clysteribus, collutoriis, aliisque

usibus externis, aliaque ejus loco remedia adhiberi, quæ exitu æque bono substitui facile possunt. Sic præter ABSYNTHIUM, GENTIANAM aliaque plura, quæ non externe solum, sed interdum etiam interne supplent vices corticis peruviani, alia in promptu sunt, quæ a pluribus practicis adhibita sunt, exitu satis felici, nec inferiori, quam habeat cortex ipse peruvianus, ut est SALIX, maxime vero HYPOCASTANI cortex, & alia plura, quæ tamen præberi debent dosi circiter majori tertiæ partis. Sed Hypocastanum potissimum, quo loco corticis peruviani vel in ipsis febribus intermittentibus, se usum fuisse felici successu testatur inter alios vir Clariss. *Moscati.* Immo utilius posse arbitror remedia quoque componi, quæ tam externe, quam interne vices expleant peruviani corticis, si remediis amaris tam in pulvere, quam in decocto plus vel minus addatur alterius substantiæ adstringentis; ut fusius hoc etiam exposui in sæpius citato opusculo de CHINA LUTEA.

CICHOREUM OFFICIN. *Cichoreum Intybus L.*

Planta perennis ubique apud nos reperitur in arvis; & colitur in hortis, quæ postrema minus efficax est. Adhibetur FOLIUM RECENS & RADIX. Præscribitur succus ex foliis & etiam ex radice ab una ad uncias sex; decoctum præscribitur, sed plerumque ex sola radice recenti a dimidio unciæ usque ad duas paratum aqua vel sero, ex sicca vero radice a duabus drachmis ad unciam unam. Sæpius additur præser-

tim radix aliis decoctionibus. Paratur EXTRACTUM ex tota planta recenti.

CICUTA OFFICIN. *Conium maculatum L.*

Planta biennis, quæ apud nos propter vias nascitur, & in locis opacis fertilibus. Adhibetur HERBA præsertim ad usus externos in infuso, & sub forma cataplasmatis. Interne raro fere nunquam & cautissime. Paratur EXTRACTUM ex herba viridi.

Hæc ab aliis speciebus distinguitur ob maculas rubentes, quibus caulis aspergitur, & ob graveolentiam odoris.

CITRUS, seu LIMONIA OFFICIN. *Citrus medica L.* MULTÆ VARIETATES habentur.

Arbor germinans in Asia, Media, Persia, & inde in Italiam advecta colitur in viridariis præsertim calidarum regionum. Adhibetur FRUCTUS RECENS LIMONIÆ; datur interne ejus succus eo modo, ut acetum; datur & FLAVEDO sed hæc in pulvere, infra duas drachmas ad grana viginti passim jungenda aliis remediis: Etiam in infuso præbetur, melius tamen si infusio ex viridi fiat ab una drachma ad unciam unam vel ipsa sola, vel aliis infusis adjuncta. Paratur ex flavedine OLEUM ESSENTIALE. Utimur etiam SEMINIBUS CITRI & quidem utiliter pro emulsione facienda ab una ad quatuor drachmas.

Parcius utendum succo in cura pauperum infirmorum, cum sæpissime ejus vices cum mi-

nori sumtu supplere possit acetum cum eadem utilitate. vid. quæ diximus de ACETO.

FLAVEDO adhiberi utiliter potest pro pauperibus loco aromatum maximi sumtus, præsertim ad grata palato reddenda remedia.

COLOPHONIUM OFFICIN. Vid. OLEUM TEREBINTHINÆ.

CREMOR TARTARI, seu *tartris acidulus potassæ depuratus.*

Pulverem qui præscribitur oportet esse subtilissimum, isque præbetur quatenus purgans et a duabus drachmis ad unam unciam cum dimidio, passim in aqua simplici, vel sero; si ad aliud refertur præscribi solet a dimidio drachmæ ad integram duabus vel tribus horis repetendus in convenienti vehiculo. Additur etiam aliis purgantibus remediis præsertim resinosis, & saccharinis. Paratur TARTARUS SOLUBILIS.

Expedit non raro cremorem tartari mixtum cum saccharo, vel cum melle præberi, quod præter alias utilitates eum reddit sumentibus gratiorem.

CREMOR TARTARI e Gallia & e Venetiis aspectu est suavis, ejus vero præparatio in vasis cupreis adulterata facile se prodit partibus cupreis, quæ innotescunt addito SPIRITU SALIS AMMONIACI, melius CAUSTICO sive AMMONIACA, & hinc orta post saturationem tinctura coerulea.

D.

DAUCUS SYLVESTRIS seu SATIVUS OFFICIN. *Daucus Carota L.* Bastonagia Longobard.

Planta biennis, quæ apud nos germinat in pratis & agris: seritur etiam in hortis, sed hæc est alteri postponenda. Adhibetur RADIX in levi decocto speciatim recenti, cum si exsiccata fuerit, non facile vim suam retineat per integrum annum, eaque præbetur ab unciæ dimidio ad duas. Aliis quoque decoctionibus additur.

DIGITALIS PURPUREA OFFICIN. & *L.*

Planta biennis, quæ germinat in Europa Australi, & in Montibus foliis rugosis instructa. Adhibetur FOLIUM interne in pulvere cum saccharo vel alio constituente ab uno ad tria usque ad decem grana divisis dosibus & caute exhibitum; in infuso autem, vel levi decocto infra drachmam ad scrupulum dimidium. Ab hujus remedii usu aliquando ægrotus patitur obfuscationem visus, aliaque incommoda, uti nauseam, vehementes vomitus, oesophagi constrictionem spasticam, singultum, diarrhoeam, interdum ptyalismum &c. In his circumstantiis aut dosis minuenda aut omnino usus intermittendus. De hoc remedio vide ubi de SOLANO NIGRO.

Non multum fidendum est DIGITALI, quæ coli solet in viridariis. Cæterum cum experientia constet, alias digitalis species, ut LUTEA,

AMBIGUA &c., quæ magna copia etiam in montibus nobis propioribus oriuntur, ut in Novocomiensibus &c. eosdem fere parere effectus, si præbeatur paulisper majori dosi, quos parit DIGITALIS PURPUREA: convenit illas species in usum deduci, utpote magis obvias, quam purpurea, minorisque pretii. Cl. Doctor *Breva* in ea est opinione, quod nova species digitalis cum digitali purpurea omnino conveniat. Ea digitalis insignita fuit nomine *digitalis Epiglotis*, cujus peculiares caracteres ac notæ sunt, quæ sequuntur. Nova ex Pannonia species — Essentia speciei consistit in corolla subglobosa, bilabiata; labio superiore longissimo, os floris obtegente. Habitus plantæ accedit ad digitalem ambiguam; sed grandior, & vitæ biennis.

DULCAMARA OFFICIN. *Solanum Dulcamara L.*

Suffrutex qui habitat inter nos ubique prope rivulos. Adhibentur CAULES vulgo STIPITES, quos expertus sum multum NITRATIS POTASSÆ continere; iique adhibentur in levi decocto, ab una usque ad drachmas sex. Si majori sua dosi ab initio ordinetur, vel longius quam opus sit decoctio ebulliverit, nauseam, & etiam evomitionem, ac diarrhoeam, aliaque incommoda aliquando solet producere. Cæterum cum hoc remedii genus etiam rite, & justa dosi paratum soleat aliquibus nauseam afferre, utiliter temperari potest decoctio cum paratur, mixtione LIQUIRITIÆ vel SEMINUM ANISORUM aut ALTERIUS AROMATIS, vel jam parata

decoctio modico LACTE, vel SYRUPO, aut SACCHARO, aut MELLE pro rei necessitate.

Tanta credita est hujus remedii depurativa, ut dicitur, vis, ut hoc substitui utiliter possit præsertim in curatione pauperum SARSÆ PARILLÆ. Multoque utilius id obtinetur, ubi decoctioni aliqua portio radícis saponariæ adjungatur.

E.

ENULA CAMPANA OFFICIN. *Inula Helenium L.*

Planta perennis, quæ habitat in locis pinguibus & udis Angliæ, Belgii, Hollandiæ &c. Adhibetur RADIX, quæ exsiccata odorem violaceum spirat, & habet vim non exiguam. Datur in pulvere a dimidio drachmæ ad duas, in infuso aquoso, vel in levi decocto ab una ad sex drachmas, & in infuso spirituoso. Ex multis practicorum experimentis deprehendi, usum hujus remedii optimum exitum sæpe habuisse etiam in ipsis circumstantiis, in quibus *Polygala Senegal* practici utuntur.

Efficacior illa haberetur, si coleretur in hortis. Præferenda saltem, quæ reperitur in locis humidis paludosis.

F.

FEL TAURI.

FERMENTUM PANIS.

FERRUM, seu CHALYBS, seu MARS.

Adhibetur LIMATURA, quæ sæpe adjungitur VINIS MEDICATIS, & cum in substantia ad usus internos præscribitur, PARATA præbetur eo modo, quem exponam in altera parte. Cæterum probabilitate non caret etiam simplicem LIMATURAM FERRI prodesse posse non secus ac STAMNUM, imo fortasse magis prodesse adversus vermes intestina occupantes, & adversus ipsam tæniam, ut arbitrati sunt *M. E. Blochius* & *Darlucius*. Pro adultis datur a duabus drachmis ad dimidium unciæ: pueris autem datur a dimidio scrupuli ad unam drachmam. Sæpius cum melle in Electuario; pro adultis vero etiam sub specie pilularum.

Perfecta dignoscitur, cum tota a MAGNETE attrahitur, & ope alicujus acidi soluta, & solutioni, addita aliqua gutta ammoniacæ, colorem cæruleum non exhibet. Porro caute magnetis ope, ut monet cl. *Gmelin* in apparatu &c. pag. 308. limatura seligenda, & ab alienorum metallorum, aliisque peregrinis particulis liberanda, quod ut tanto certius fiat, scobs chartæ firmiori acu perforatæ injicienda, & magnete subtus admoto ferrum sensim extrahendum.

FILIX OFFICIN. *Polypodium Filix mas L.*

Planta perennis, quæ apud nos invenitur in locis umbrosis, & præcipue in sylvis. Adhibetur RADIX, sed ante usum ipsius rescindi debet totum, quod fibrosum est & datur in pulvere pueris a quatuor granis ad dimidium

drachmæ in duas vel tres partes dividenda. Adultis vero a duobus scrupulis usque ad drachmas quatuor; & in decocto præbetur a duabus drachmis ad dimidium unciæ: quod quidem remedium tanquam, ut dicitur, anthelminticum modo, præbetur vel simul, vel ante vel post remedia purgantia, drastica dicta, & nuperrime bonum exitum habuit juxta cl. *Odier Genevensem* usus suppeditandi ad bibendum post hujus remedii sumtionem portionem aquæ martialis, cujus loco ad vitandum dispendium, si de pauperibus agatur, exhiberi potest aquæ portio, in qua solutum fuerit aliquod granum vitrioli martis. Hoc unum est ex præcipuis ingredientibus, quibus constat specificum M. *Noufferii* adversus tæniam seu ut dicitur vermem solitarium: quod quidem specificum in exhibitione consistit dicti pulveris jejuno stomacho in quatuor vel sex unciis decocti ex eadem radice compositi, cui postea succedit propinatio purgantis remedii sex vel septem granorum mercurii dulcis sub forma boli, quod si ægrotus difficilem alvum habeat, consulitur usus clysteris vespere antecedenti.

Quamvis remedium hoc fortasse mereri non videatur eam omnem existimationem, quam apud multos hactenus habuit: illud tamen retinere volui, cum omni virtute non destitui existimetur ob plura experimenta eidem faventia, & al unde sit apud nos obvium; & nullius, vel minimi sumtus.

FOENICULUN DULCE OFFICIN. *Anethum Foeniculum L.*

Planta biennis, & perennis, germinans in

rupibus Cretaceis Narbonæ &c. & in hortis colitur. Utimur INTEGRA PLANTA. RADIX, cujus vis per annum durat, præbetur in infuso vel levi decocto a duabus drachmis ad unciam cum dimidio, HERBA præsertim recens in infuso a duabus drachmis ad unciam unam, & SEMEN in pulvere, quod passim addi solet aliis remediis, datur a sex granis ad unam drachmam aut frequentius contusum in infuso, præbetur a dimidio drachmæ ad dimidium unciæ. Hoc addi potest aliis infusis & decoctionibus; addique potest cum utilitate etiam purgativis remediis, quemadmodum dictum est de aniso.

FUMARIA OFFICIN. *Fumaria Officinalis L.*

Planta annua, quæ habitat apud nos in arvis, & in opacis fertilibus locis. Adhibetur HERBA potissimum recens. Datur in succo ab una ad quatuor uncias & in decocto a duabus ad quatuor drachmas.

G.

GALBANUM OFFICIN.

GUMMI-RESINA, quæ elicitur ex Frutice Africæ, quod a *Linnæo* vocatur BUBON GALBANUM. Melius est, quod ex Persia nobis affertur, constat ex lachrymis siccis, calore manus lentescentibus ac ductilibus, & dum recens est, exhibet album colorem, odorem valde nauseosum, & specifice olidum, & cum incenditur, aromaticum fumum diffundit. Rejiciendum, quod

ex Mauritania ad nos defertur, ex magnis massis, crassis, & viscidis coalescens, commixtis variis quisquiliis, & cum incenditur, emittens odorem adinstar accensæ TEREBENTHINÆ.

Datur interne in pilulis & soluta a decem granis ad scrupulos duos & in hoc ultimo casu ea ratione præbetur, qua supra diximus præberi assam fœtidam; etiam externe applicatur raro ipsa sola per se, fere semper tanquam pars in compositis.

GALLÆ TURCICÆ.

Incerta fuit harum vis pro usibus internis; nunc pene ab omnibus derelicta, fortasse aliquando reviviscere poterit. Cæterum saltem externe adhiberi utiliter possent maxime in infuso aquoso tam ipsæ solæ, quam mixtæ cum aliis remediis. Interim his utimur pro conficiendo ATRAMENTO.

Seligendæ sunt exiguæ molis, ponderosæ, compactæ, & aculeatæ.

GENTIANA OFFICIN. *Gentiana lutea L.*

Planta perennis, habitans in alpibus. Adhibetur RADIX in pulvere ab uno scrupulo ad drachmas duas, & in infuso frigido ab uno ad sex scrupulos pro qualibet infusi libra, in calido autem ab una non ultra sex drachmas, cum hoc remedii genus, si majori dosi præbeatur, tolerari nequeat ab ægris etiam minus delicatis minusque irritabilibus. Facilius toleratur ipse pulvis, & efficacior evadit commixtus alicui non

injucundo amaro & melius quoque alicui remedio aromatico. Paratur etiam extractum.

Respuenda est nimis crispata & quæ sit interne subnigri coloris.

Monendum, GENTIANAM PURPUREAM clarissimi *Allioni* maxima in copia inveniri etiam in montibus nobis proximioribus, ut in Novocomensibus, in quibus reperitur quoque copia alterius speciei GENTIANÆ PUNCTATÆ. Quæ quidem species cum deprehensæ sint ejusdem efficaciæ & virtutis cum GENTIANA LUTEA; expediret nobis iis uti; cum facilius & minori sumtu haberi possint, quam altera multo rariori.

Monendum quoque censeo; quod expertus sum, sæpe expedire usum gentianæ in infuso, si in exigua copia pulvis ipsius in aqua frigida mergatur & vix mersa continuo filtretur, maxime si liquori misceatur aliqua portio sacchari vel mellis; & præterea aut aquæ vel infusi aromatici vel compendii causa syrupi corticis citri. Hac ratione infusum obtinetur longe minus ingratum, ac facilius sumendum ab ægris, quam sumere soleant infusa de more parata, ac locum demum tenere potest infusi aut decocti LIGNI QUASSIÆ.

GRATIOLA OFFICIN. *Gratiola Officinalis L.*

Planta perennis crescens apud nos in depressis, humidioribus locis. Adhibetur RADIX & FOLIA. Hæc dantur in pulvere ab octo, viginti, triginta granis non ultra drachmam unam. Observatum est folia, si in substantia præbeantur, non raro producere in ægro non exigua in-

commoda, ut anxietates, inutilesque evomitionis conatus &c., hinc commodius & frequentius præscribi solet in infuso a dimidio drachmæ usque ad duas. Longe minori periculo folia adhibentur, si pro infuso serum adhibeatur, aut si infuso addatur aliqua portio liquiritiæ, aut sacchari, aut melius interdum aromaticorum, ut Zinziber, anisum &c. Folia, si maxima dosi adhibentur, agunt ad instar emetici & drastici, in dosi minori ad instar alterantis remedii. RADIX autem ad ea quæ dixi incommoda cavenda præberi solet in infuso a dimidio drachmæ ad duas non ultra tres, quod aliqua portione mellis temperari juvat. Circumspecte suadendus hujus herbæ usus ob nimiam maxime rusticorum facilitatem in ea adhibenda, quam egomet alicubi deprehendi & ex qua non semel, sed ter grave mortis periculum ob intemperantem ejus usum incaute & ignoranter factum, ut passim fieri solet, quibusdam mulieribus imminere vidi, nec aliter avertere potui, nisi continuo præscripta ab ejus usu cessatione, & convenienti remediorum subministratione.

Hæc Planta adeo communis & popularis est, ut in Galliis cognomen habeat HERBE A PAUVRE HOMME, cum vulgo pauperes eadem ad purgationem utantur, ut videri potest apud *Balliard* HISTOIRE DES PLANTES VENIMEUSES ET SUSPECTE DE LA FRANCE. PARIS 1784 Pl. 130, qui propterea & ipse suppeditat summæ cautionis monita in ejus usu, quæ & ipse dedi ob malos nimirum effectus, quos idem auctor aliquando etiam mortiferos esse affirmat. Hinc etiam idem auctor commendat hujus reme-

dii usum in infusione præscribendum, ut longe tutiorem & prudentiorem, quam sit in pulvere; atque in infuso ipse opinatur etiam alia purgantia utilius adhiberi.

Folia autem applicari possunt etiam externe tam recentia quam in pulverem redacta addenda alicui cataplasmati.

Visum est aliquibus hoc remedium supplere posse vices SENNÆ & JALAPPÆ. Optandum esset, ut medici per experimenta opinionem hanc confirmarent, cum remedium apud nos haberemus obvium & minimi pretii loco duorum exoticorum non mediocris dispendii, præsertim quoad sennam.

GUAJACUM LIGNUM, seu LIGNUM SANCTUM OFFICIN. *Guajacum Officinale L.*

Arbor Virginiæ, Jamaicæ & aliarum regionum Americæ. Adhibetur ejus LIGNUM, & GUMMI-RESINA depromta ex eodem arbore. Lignum præbetur in infuso vel in leni decocto, nam si multum ebulliret, valde ingratum redderetur, ab una ad sex drachmas; sæpius additur decoctionibus aliis, sed cum per se adhibetur, expedit adjungi, ut aliqui monent, parum liquiritiæ; decoctio non raro adhibetur quoque in collutorio aut ipsa per se, aut cum additione aliorum remediorum; habet præterea alios usus externos. Decoctio cum frigefit, flavum colorem semper acquirit, qui color etiam cæteris decoctionibus, quibus additur, communicatur. Gummi-resina datur in pilulis & soluta modo

jam dicto de assa fœtida, ab octo granis ad scrupulos duos.

Seligatur LIGNUM coloris externe fulvi, interne obsolete viridis. Recens sit & ponderosum, ita ut in aqua immersum fundum petat, sit magis resinosum, injectum carbonibus non ingratum spargens & aromaticum odorem, facilius inflammabile, quod propterea pro certo gradu caloris liquefiat ex parte in resinosam fæcem. Habeat saporem amarum parum aromaticum, subacrem. Rejiciatur ut obsoletum & vetustum, quod coloris dilutioris sit, quod sit nimis aridum, quod sit cariosum & insipidum.

GUMMI-RESINA, quod improprie dicitur etiam tantummodo gummi, ex sola sexta parte gummi coalescit & residuum totum resina est. Seligatur gravis, friabilis, quasi pellucida externe coloris ex rubeo fusci aut ex viridi pulli, interne albicantis, subrubelli; grati odoris, maxime si prunis injiciatur, saporis acris atque pungentis. Hæc adulterari solet admixtione colophonii, aut balsami sulphuris; aut alterius substantiæ; sed fraus facile detegitur; si igni imponatur; qui sulphuris odorem ciet; vel effundit alium odorem ingratum. Detegitur etiam fraus sequenti criterio. Solvatur in alcohole; si in solutione addantur aliquot guttæ spiritus nitri dulcis, recens præparati, & continentis aliquam partem acidi liberi, & aqua deinde diluatur: gummi-resina fundnm petet; & ubi sincera sit, gratum exhibet colorem cœruleum, ubi vero adulterata sit, simul cum cœrulea parte striæ albæ videntur vid. cl. *Crell.* chem. Journal. 2. Th. §. 58. 59.

GUMMI - ARABICUM OFFICIN.

Verum gummi, quod habetur ex arbore apud *Linn. Mimosa Nilotica*, germinante in Arabia & Ægypto. Datur in pulvere & solutum ab uno scrupulo ad unciam & amplius in sufficienti vehiculi copia; cum vero additur mixturis, ut ajunt, dosis non debet excedere drachmas duas, alioquin incommoda densitas haberetur. Præscribitur quoque, ut in vehiculis aquosis resina, gummi-resina & olea iis admixta teneantur. Paratur MUCILAGO.

Melior est, quæ omni colore & sapore privatur, quæ diaphana est, & quæ omnino in aqua dissolvitur. Gummi, quod colligitur ex aliis arboribus, ut ex CERASIS, PRUNIS, POMIS &c. si purum fuerit, substitui omnino potest gummi-arabicæ.

H.

HIPPOCASTANUM OFFICIN. *Aesculus Hippocastanum L.* Castagna d'India sive amara LONGOBARD.

Arbor, quæ habitat in Insula Creta & apud nos plantatur potissimum in ambulacris. Adhibetur præcipue CORTEX RAMORUM. Datur in pulvere & in decocto ea circiter dosi, qua china, & non solum loco CHINÆ præberi potest, sed etiam loco radicis COLOMBO maxime in pauperum cura. Cæterum oportet corticem abstrahi e ramis nec nimis adultis, nec tenerioribus.

HIRUDO, seu SANGUISUGA OFFICIN. *Hirudo Medicinalis L.*

Utimur ANIMALI VIVO jam omnibus noto. Seligenda tamen Hirudo, quæ depressa sit, fusca, interspersa lineis flavis dorsalibus sex, intermediis immaculatis, subtus cinerea, nigro-maculata.

HORDEUM OFFICIN. *Hordeum vulgare L.*

Planta annua, quæ colitur ubique. Adhibetur SEMEN in decocto, a dimidio unciæ ad tres, & in pulvere seu farina, quæ conficiendis cataplasmatibus, & fomentationibus siccis inservit, quo tamen in munere subrogari potest pro circumstantiis etiam farina secalina.

I.

JACEA OFFICIN. *Viola tricolor L.*

Planta annua habitans apud nos in locis cultis. Adhibetur HERBA CUM FLORIBUS VIRIDIS in infuso a dimidio unciæ usque ad quatuor, & exsiccata in pulvere ab una ad quatuor drachmas & in levi decocto nunc in aqua, nunc in lacte a tribus drachmis ad uncias duas. Hoc remedium retineri volui eisdem de causis, quas attuli, ubi de FILICI.

JALAPPA OFFICIN. *Convolvulus Jalappa L.*

Planta perennis in America, Mexico, Vera

Cruce germinans. Adhibetur RADIX in pulvere pro pueris ab uno ad decem grana pro ratione ætatis & temperamenti; pro adultis ab uno scrupulo ad drachmam unam fere nunquam in infusione præscribitur. Si detur latiori dosi, parere potest enteritidem, convulsiones &c. Hæc nobis in taleolis affertur & melior est compacta, dura, ponderosa, nigris striis interspersa, & igni admota inflammabilis. Admixta Bryoniæ segmenta colore albo, & textura spongiosa se produnt.

Vis ejus purgativa ex resinoso principio derivatur. Expedit eam conteri dum illa utendum est, atque præscribi simul cum saccharo, aut cum cremore tartari, vel cum alio sale neutro, quæ regula observanda est in præscriptione remediorum omnium, quorum vis purgativa sit in resinoso principio.

HIPECACUANHA OFFICIN. *Psychotria emetica* in Pharmacop. Austriac. Campestr. nuper edita.

Planta perennis, quæ crescit in locis Americæ Meridionalis. Adhibetur Radix in pulvere & in infuso, cum pro emetico datur, in pulvere præbetur pro pueris ab uno ad sex grana, pro adultis a decem, viginti granis usque ad triginta pro ætate, aliisque circumstantiis. Cum effectus exigitur promptior & tutior, addi potest quidpiam TARTARI EMETICI, quod vix granum excedat; cum autem pro emetico datur in infusione, dosis est in pueris a sex granis ad dimidium drachmæ, in adultis a dimidio

drachmæ ad duas. Fit autem infusio in vasis clausis & in tribus usque ad sex uncias aquæ vel vini, quæ tamen quantitas pro ratione ætatis tribus unciis minor esse potest. Expedit etiam aliquando infusioni fieri additionem alicujus aromatici.

Cum autem præscribitur pro alterante remedio datur a dimidio grano ad unum usque ad tria duabus vel tribus singulis horis repetenda. Hipecacuanha emeticum est, quod prærogativam super alia meretur, cum ut inquit clar. *Vogel* sit emeticum omnium mitissimum, simulque a periculis tutissimum, quod propterea recte monent alii esse oportere emeticum pro ægris debilioris ac delicatioris constitutionis, ac pro maxima mulierum parte.

Aliqui putant radicem Hipecacuanhæ post usum ipsius ad parandum infusum aliis rursus usibus aptam esse, ubi iterum residua substantia, quae manet post extractionem infusi, levi ebullitioni exponatur. Prior decoctio, quæ a prædicta residua substantia obtinetur, utilis esse creditur in usum adhibita remedii diaphoretici, altera vero ad usum apta putatur remedii corroborantis. Quæ quidem praxis in Nosocomiis introduci deberet cum ab ea traheretur utilitas ter unam substantiam ad usus medicinales adhibendi, cum generatim tamquam inutilis repudiari soleat post primum usum infusionis. Præstat igitur saltem in Nosocomiis residuum Hipecacuanhæ, quod post infusionem ex ea factam superest, non rejicere ut inutile, sed in alios usus servare, pro quibus oportebit medicum illius me-

minisse, ut ipsum loco aliorum remediorum opportune præscribat.

Nuper cl. *Heller* duas observationes maximi momenti vulgavit, quibus utilitas confirmatur hujus remedii in exigua dosi administrati. Prima observatio respicit hydropem ascitim, quæ quartanam febrim ac sanguinea sputa secum conjuncta habebat & cui curandæ inepta fuerant communia remedia, quæ meliora putari poterant. Secunda observatio respicit morbum stomachi versum in habitum, pro cujus curatione nihil profuerat maxima pars communium remediorum; immo vim morbi auxerat. Pro his morbis curandis vim habuit usus hujus prædicti remedii.

Cum vero datur per modum alterantis, ut ajunt, remedii, non expedit mixturis additum præberi, cum admodum difficile sit ea dosi, quæ convenit ab ægro sumi æquali distributione singulis iteratis vicibus, licet ampulla, quotiescumque sumendum remedium est, agitetur; ex qua inæquali pulveris distributione, quæ facile accidit, illud incommodum oriri posset, ut vel aliquando minus, quam par esset, remedii sumeretur, aliquando plus, quam casus exigeret, & hinc vel non haberetur optatus effectus vel quod pejus esset, malus effectus haberetur. Quare convenit pulverem sine mixturis præscripta dosi singulis vicibus seorsim suppeditari solum cum aqua vel cum nubeculis, sive pilulis conclusum, cum hac ratione futura sit tutior & certior æqualis remedii ab ægro sumendi distributio. Quod eadem de causa observandum est in præscriptione pulveris Dowerii aliarumque sub-

stantiarum in aqua minime solubilium & quas maximi interest præscripta quantitate singulis vicibus capere & quarum nimia quantitas grave damnum potest inferre.

Eligatur tortuosa, rugosa, annulis & incisuris profundis conspicua, exhibens colorem ex cinereo obsolete castaneum, habeatque corticem crassum, durum, densum, & fragilem, saporem vero acrem, amarum, parum nauseosum cum sensu mucilaginis. Rejiciantur radices externe albicantes aut gilvi coloris, spongiosæ, nec interspersæ sulcis.

Pro recto radicis usu ea spoliari debet fibris adhærentibus, & medulla lignea alba insipida avelli debet a cortice, cum tota vis in ipso cortice resideat, aut saltem, dum tunditur lenis contusio adhibeatur, ne commixtio fiat cum ipsa medulla, & pulvis, qui primum se prodit, accipiatur, cum certius sit hunc esse pulverem corticis, non medullæ. Expedit autem pulverem, quoad fieri possit, recentiorem esse & superstitem in vasis clausis conservari; nec prætereundum eam radicis copiam, quæ in pulverem est reducenda, totam eodem tempore simul tundi, excepta jam dicta medulla, ut sola maneat ejusdem vis & efficaciæ.

JUNIPERUS OFFICIN. *Juniperus communis L.*

Frutex germinans in Collibus siccis & aridis. Adhibetur LIGNUM & BACCÆ, quæ non maturescunt nisi anno secundo, LIGNUM in infuso vel leni decocto a duabus drachmis ad unciam, & BACCÆ interne, quæ antea contusæ

sint, in infuso cum optimo successu ab una ad drachmas sex, externe autem in suffumigiis & uniuntur fomentationibus & cataplasmatibus. Inserviunt præterea parando ROOB JUNIPERI, tum etiam UNGUENTO, cum nondum ad maturitatem pervenerint.

Præferunt aliqui LIGNUM radicis LIGNO trunci utpote magis odoratum & efficax. Hoc substitui potest LIGNO SASSAFRAS, maxime in curatione pauperum, cum sit dispendii longe minoris & virtutis non inferioris.

L.

LAC VACCINUM. Legi meretur in hac re opusculum *Parmantier* & *Deyeux* præmio donatum de examine proprietatum physicarum, & chymicarum, ex quo, collatione facta, definitur natura LACTIS MULIERIS, VACCÆ, CAPELLÆ, ASINÆ, AGNÆ, & EQUÆ.

LAPATHUM ACUTUM OFFICIN. *Rumex acutus L.*

Planta perennis, quæ crescit apud nos in pratis humidis fertilibus. Adhibetur RADIX præcipue recens in decocto interne, & externe etiam non raro, nunc cum sero lactis, nunc cum aqua præparato, pro rei natura. Sed cum in aqua paratur decoctum ad usus internos, juvat non raro adjungi jam factæ decoctioni parum lactis vel mellis, ut decoctio minus ingrata evadat; dosis autem est pro internis usi-

bus, si viridis sit, ab unciæ dimidio ad duas, si sicca fuerit, a duabus drachmis ad unciam: decoctio, quæ præsertim fit in aqua, rubeum colorem induit.

LICHEN ISLANDICUS OFFICIN. & L.

Alga, quæ habitat in subalpinis & montuosis locis & humi nascitur. Adhibetur PLANTA INTEGRA raro in pulvere ob summam difficultatem ejus conterendæ, sed potissimum in decocto, ea tamen in crassum pulverem antea redacta, a duabus drachmis ad sex usque ad unciam.

Quidam ægre ferunt hoc remedium, nisi percolato decocto addatur quidpiam lactis vel mellis, vel sacchari, vel nisi, dum fit decoctio, adjungatur aliquid liquiritiæ, alicujus aromatis, & cum aliquid aromatis additur, sæpe expedit percolatæ jam decoctioni misceri parum sacchari vel mellis; pro aliis vero aliquando convenit antea in aqua ebulliente infundi & deinde ex eadem extrahi ac decoctum parari, quod gratius effici poterit, si opus sit, alicujus ex prædictis substantiæ additione.

LINUM OFFICIN. *Linum usitatissimum L.*

Planta annua, quæ seritur apud nos in agris. Adhibetur semen redactum in pulverem, si facienda sint cataplasmata, integrum interne in infuso adhibetur a duabus ad drachmas sex, atque hæc eadem dosis servatur etiam in emulsione, quæ tamen largiori vehiculo facienda est.

Parari potest MUCILAGO, quæ efficacia non discrepat ab illa, quæ obtinetur ex RADICE ALTHEÆ, SEMINE PSYLLII; CYDONIORUM &c.

LINUM CATHARTICUM OFFICIN. *&* *L.*

Planta annua crescens in agris apud nos. Adhibetur HERBA tam viridis quam exsiccata in infuso quatuor unciarum aquæ usque ad octo; si viridis, a duabus ad drachmas sex, si arida, ab una ad quatuor drachmas; sicca præscribitur quoque in pulvere a dimidio drachmæ ad quatuor scrupulos non ultra.

Remedium hoc substitui potest SENNÆ, quod minus sumtuosum est. Ego autem deprehendi, in hoc remedio præscribendo, sæpissime expedire; quod etiam fit in usu sennæ, illud præscribere simul cum remediis amaris vel substantiis aromaticis, aut cum aliis laxantibus, pro medici judicio.

LIQUIRITIA, seu GLYCYRRHIZA OFFICIN. *Glycyrrhiza glabra L.*

Planta perennis, quæ habitat in regionibus australibus. Adhibetur RADIX & ejus EXTRACTUM siccum, quod vulgo dicitur succus. Eligatur radix recens, tenax, flexilis, dissecta apparens læte flava, dulcis gratique saporis; succus vero qui sit siccus, nec odorem habeat, nec saporem empyreumaticum, suavem tamen odorem, & dulcem saporem vel ipsa radice gratiorem, & dum frangitur, nigricans splendeat; liquescat im-

positus linguæ & cum in aqua solvitur, nullas vel paucas faeces in fundo dimittat.

RADIX adhibetur in pulvere; sed ut plurimum nonnisi ad conspergendas pilulas & tanquam excipiens, tum etiam in infuso adhibetur vel leni decocto ab una ad sex drachmas. SUCCUS vero in solutione, & sæpius ad liquefactionem in ore a dimidio drachmæ ad dimidium unciæ. Sæpe additur RADIX decoctionibus aliis, ut minus ingratæ reddantur. Convenit radicem præberi solum in leni decocto, quia si nimis ebulliat, ingratum saporem decoctum acquirit.

Pulvis ad modum excipientis opportunissime adhibetur, ut mixtus aliquibus remediis in exigua dosi præscriptis, mole hæc augeat sua, ne propter exilitatem disperdantur, & facilius ubi opus sit, dividantur. Hic usus alteri præferri debet adhibendi saccharum; nam non raro contingit, aliquos pulveres mixtos cum saccharo facile liquescere & alterari; ut contingere videtur in CUPRO AMMONIACALI, in FLORIBUS SALIS AMMONIACI MARTIALIS, in SULPHURE AURATO ANTIMONII &c., quod non accidit in usu pulveris liquiritiæ

Præterire nolo deprehensam a me fuisse radicem (*astragalus cicer L.*) iisdem pene proprietatibus præditam, quibus est liquiritia. Quare ubi radix hujusmodi obvia sit, subrogari, liquiritiæ optimæ potest.

LITHARGYRUS *Oxydum plumbi semi-vitreum.*

Adhibetur pro conficiendis variis EMPLASTRIS, sed debet redigi in subtilissimum pulverem.

M.

MALVA VULGARIS OFFICIN. *Malva sylvestris L.*

Planta annua, quæ crescit in locis incultis & in maceriis. Adhibentur FOLIA tam viridia quam exsiccata in levi decocto tum interne, tum externe, si viridia, a dimidio unciæ ad duas, si sicca, a duabus drachmis ad sex, sed potissimum in pulvere inserviunt parandis cataplasmatibus.

Sylvestrem indicare volui, cum in locis prope Ticinum & Mediolanum communior sit & magis obvia. Cæterum ubi vel *rotundifolia*, ut in locis ultrapadanis, nascatur, vel promiscue utraque species commode acquiri possit, ex æquo utraque adhiberi potest, cum sint omnes ejusdem efficaciæ.

MANNA OFFICIN.

SUCCUS CONCRETUS SACCHARINUS præsertim scaturiens ex *Fraxino Orno L.*, arbore, qui nascitur in Europa Australi, ut in Calabria, Sicilia &c. Præferenda eſt, quæ grana majora magis alba ostendit, propriumque saporem habet eumque dulcissimum. Respuenda vero, quæ colorata sit humida, & conspurcata. Ea servari debet loco sicco ac modice calido. Nam si ponatur in humido, facile difluit in tabem inertem & injucundam.

Exhibetur soluta in aqua vel sero, aut alio vehiculo pro pueris a duabus drachmis ad dimi-

dium unciæ, pro adultis ab uncia una ad quatuor; exhibetur quoque sub forma linctus: arbitratur clariss. *Spielmann*, si manna in fluido frigido solvatur, longe minorem nauseam sumentibus afferre quam si solvatur in calido. Expedit non raro mannam præberi mixtam cum remediis purgantibus magis extimulantibus, vel cum amaris, aut cum aromaticis, pro diversis circumstantiis, quæ possunt occurrere: sic enim vitantur incommoda, quæ oriri aliquando solent, si sola præbeatur.

Cæterum puto mannam non eam mereri existimationem omnem, quam ipsa passim obtinet. Immo in curatione pauperum abstineri ab ea posse sine detrimento censerem. Facile assentior mannam utiliter præscribi simul cum sale amaro; aut cum infuso sennæ, vel cum aliis purgativis remediis, ut ajunt drasticis: eorum enim vis nimium extimulans per mannæ mixtionem obtunditur; quod ut aliquando fiat, utilitas postulat. Verumtamen etiam sine manna id obtineri facile potest, si nempe loco mannæ MEL subrogetur. Sublato autem usu mannæ non exiguum dispendium in curatione pauperum cum eodem fructu vitaretur.

MEL COMMUNE PURUM seu VIRGINEUM.

Optimum est, quod nulla adhibita arte sponte defluit ex disruptis favis, quod magis granosum est, spissum, admodum ponderosum, minusque coloratum, & quod odorem & saporem exhibet gratum; dulcem ac leviter aromaticum, illudque præferendum, quod in montibus aridisque locis colligitur.

Ipsum interne per se sumitur a duabus drachmis ad uncias tres adinstar eclegmatis, sumitur etiam solutum; sed frequentius additur diversis mixturis, decoctionibus &c. maxime ut istæ efficiantur gratiores. Sæpe adhibetur tanquam constituens ad formam vel consistentiam diversis medicaminibus conciliandam. Locum demum sacchari plerumque tenere debet cum magno emolumento, ubi maxime agitur de curatione pauperum. Adhibetur etiam mel aliquando pro usibus externis. Si pro duabus aquæ libris uncia & dimidium mellis solvitur, nomen sibi vindicat HYDROMELLIS.

Ex eo paratur MEL DESPUMATUM; OXIMEL SIMPLEX & SCILLITICUM.

MENTHA CRISPA OFFICIN. & L.

Planta perennis crescens in Sibiria, Helvetia, quæ in hortis etiam apud nos excolitur, habet folia cordata, dentata, undulata, sessilia. Adhibetur HERBA in infuso ab una ad quatuor drachmas, ex ea paratur AQUA DESTILLATA, quæ solet frequentius adhiberi, quam ejus infusum.

MENTHA PIPERITA OFFICIN. & L.

Planta perennis, quæ oritur in Anglia & colitur etiam apud nos in hortis instructa foliis oviformibus petiolatis & sapore prædita acri piperis. Adhibetur HERBA; ex ea paratur AQUA DESTILLATA, quæ passim ejus infuso præfertur, ut dixi de alia menthæ specie. Cæterum

adhiberi potest in infuso eadem circiter dosi, quam dixi de alia menthæ specie, & cum sic adhibetur judicio cl. *Roemeri* aliorumque, vices explet potus THEE, quod SANITATIS appellari solet, immo omnium Thee gustui gratissimum evadit. Hoc autem frequentius sumitur simul cum melle vel saccharo, vel lacte.

Hæc menthæ species apud nos facile crescit, ideoque exigui pretii est & ex altera parte maximæ utilitatis, cum ipsa sub variis formis adhibita locum tenere possit multorum exoticorum longe majoris sumptus, ut propterea multum intersit eam, ut jam alicubi accidit, usum habere latissimum.

MERCURIUS, seu ARGENTUM VIVUM, seu HYDRARGYRUM.

Ille seligendus, qui lucidus est, qui ex se ipso difluens globulos rotundos efficit, quin vestigium post se relinquat, qui aceto digestus saporem dulcem vel stipticum non recipit, qui demum in ferreo cochleari expositus igni omnino abit in auras.

Plures habet mercurius usus, sed nullius usus est, nisi antea depuretur, ut in altera parte dicemus.

MEZEREUM OFFICIN. *Daphne Mezereum L.*

Frutex qui habitat in montium sylvis Europæ borealis & australis. Adhibetur cortex tam STIPITUM quam RADICIS interne a dimidio scrupuli, a duobus scrupulis ad drachmas duas aucta

dosi gradatim tam in infuso quam in levi decocto, cui sæpe convenit parum liquiritiæ addi, aut percolatæ decoctioni parum lactis misceri. Frequenter vero adjungitur aliis decoctionibus, ut sunt decoctio, ut dicitur lignorum, dulcamaræ, saponariæ &c. Cæterum semper caute est adhibendus Scio aliquos prætergressos esse prædictam dosim & aliquando drachmas sex attigisse. Verum si id contigit absque periculo, magis tribuendum esse censeo longiori, quam opus esset, ebullitioni, quæ facta sit, quam innoxiæ dosis adhibitæ quantitati. Quæ oriri possunt incommoda & mala ex administratione perperam facta hujus corticis, videri possunt in *Puihn* materia venenaria regni vegetabilis pag. 84. Externe quoque applicatur vel ut rubefaciens vel ut causa efficiens alicujus vesicæ, vices scilicet explet fonticulorum, vel vesicantium, vel sinapismatum &c., si nempe corporis parti applicetur prout opus est. Pro varia rei indole nunc parva, nunc grandiora corticis frusta applicantur, quæ involvi debent aliquo tegumento & semel in die vel bis aut rarius mutari debent pro diverso fine, cui eorum usus destinatur. Majora frusta vi quoque majori gaudent & ubi exsiccata fuerint, in aqua vel aceto macerentur per sex, octo vel decem circiter horas.

Cum vero CORTEX LAUREOLÆ, sive TYMELEÆ OFFICIN. vel *Daphne Laureola L.* aliquorum practicorum judicio a cortice mezerei non admodum differat; hinc unus pro altero aliquando adhiberi promiscue potest.

Hujus CORTICIS usus externus suam præsertim utilitatem habet in iis circumstantiis, in quibus opus non sit prompto & celeri effectu, atque in his prælationem mereri videtur duabus præsertim de causis. Primo quia minori dispendio istud remedium habetur. Secundo etiam in divitibus infirmis oportunior ejus usus esse potest ad incommoda avertenda, quæ sæpe delicatioribus afferunt alia remedia complicata, sensibus invisa, unctuosa & ingrata.

Juvat monere maxima cautione opus esse in avellendo CORTICE vel a TRUNCO vel a STIPITIBUS vel a RADICE ; nam præsertim cum viridis cortex est, ob ejus principium, quod continet acre maximeque volatile, & quod facile interea, dum avellitur, exhalat, nocere collectori plurimum poteſt, ut ipsemet expertus sum, qui cum in loco versarer ad colligendum corticem opportunissimo, nec debitam diligentiam in magna ejus copia avellenda adhiberem, affectus inopinato fui gutturis non levi ardore, cum tussi vehementi & aliquo sanguinis sputo. Quod sane me admonuit socordiæ meæ.

MYRRHA OFFICIN.

GUMMI-RESINA manans in Æthiopia ex arbore ignota, quæ tamen creditur pertinere posse ad aliquam speciem *mimosæ L.* Eligatur in lachrymis lucidis ac pene diaphanis coloris flavo rubei, seu ferruginei, facile solubilibus in pulverem, levibus ex omni parte, æque coloratis, non ingrate odoriferis, admodum amare & aromatice sapidis. Respuenda vero quæ nigri co-

loris & ingrati odoris est, quæ ponderosa, & tenax, & spurcitiis interspersa cernitur.

Sumitur interne in pulvere, in pilulis, & etiam soluta a decem granis ad dimidium drachmæ & aliquando ad unam: solvi autem potest in aqua eo modo, quem indicavi pro solutione gummi ammoniaci. Externe quoque applicatur tam in pulvere vel solo vel mixto cum alterius speciei pulveribus, aut cum unguentis, vel demum abhibetur adinstar infusi in vino peracti. Paratur ex ea TINCTURA SPIRITUOSA.

N.

NASTURTIUM AQUATICUM OFFICIN. *Sisymbrium nasturtium L.*

Planta perennis, quæ prope rivulos apud nos nascitur. Adhibetur herba recens cum utilitate in levi decoctione facta cum aqua vel cum sero lactis, vel etiam addita decoctionibus aliis, ejusque dosis continetur infra quatuor uncias ad dimidium unciæ. Utilius quoque adhibetur in succo infra quatuor uncias ad unam, atque hoc modo præscripta vices explere potest conservæ nasturtii, qui succus ut gratior fiat, juvare interdum potest additio alicujus syrupi vel mellis.

Hæc rursus planta & ex ea factæ præparationes in curatione pauperum æquivalere possunt COCHLEARIÆ, aliisque hujus generis HERBIS rarioribus, quæ dicuntur antiscorbuticæ. Paratur EXTRACTUM. Experimento cognovi in hac planta aliquid NITRI contineri.

NITRUM seu *Nitras potassæ impurus.* Cui nullius est usus, nisi antea depuretur, ut in alia parte videbimus.

NICOTIANA seu TABACUM OFFICIN. *Nicotiana tabacum L.*

Planta in America perennis, annua vero apud nos in hortis exculta. Adhibentur FOLIA ad usus externos in leni decoctione, vel in infuso, pro clysteribus, & ablutionibus, pro quibus tamen etiam alia remedia stimulantia substitui possunt. Dosis est a duabus drachmis ad sex & ad summum ad unciam pro aquæ libra. Infusio autem ut & decoctio fieri debet in vasis clausis.

Hoc remedii genus administrari debet magna cautione, cum præscriptum etiam ad usus hujusmodi malos effectus producere valeat. vid. *Puihn* in opere citato. Qui quidem effectus multo facilius timeri possent, si adhiberetur ad usus internos, quamvis enim adhibitum aliquando fuisse, & nuper ex duabus observationibus constet, quas ediderunt duo medici *W. Dove* & *R. Bischopric* de curatione feliciter habita anasarcæ coxis & cruribus insidentis, & ascitis ope infusionis nicotianæ sumtæ tribus in diem vicibus ad duodecim guttas, quæ tamen usque ad viginti, triginta, & amplius auctæ fuerunt.

O.

OLEUM ESSENTIALE CITRI CORTICUM.

Oleum volatile citri corticum.

Passim præscribitur ad usus internos sub forma ELÆOSACCHARI. Adhibetur quoque ad parandum SYRUPUM CORTICUM CITRI. Hoc autem remedium in hac prima parte recensui, cum jam in commercio positum sit. Sed aliquando contingit fraudibus hominum, ipsum adulterari per commixtionem vel cum alcohole, vel cum oleo fixo expresso, vel cum oleo æthereo Terebinthinæ, quod excitare debet solertiam emtoris, ut illud experimento subjiciat sequenti ratione, quæ locum habet etiam pro aliis oleis essentialibus discernendis.

Si hoc oleum dimittatur in aquam, albescit mixtura, ubi cum alcohole corruptum sit, quod non contingit, si purum fuerit. Ut vero cognoscatur, an oleum expressum in eo reperiatur, aliquæ guttæ illius olei super chartam fundantur, ac levi calori charta exponatur. Si sincerum oleum sit, disparet tota macula pellucida. Ex adverso maculata charta manet, si oleum non fuerit genuinum. Detegitur etiam hæc fraus, si aliqua gutta olei instilletur in alcohole. Guttæ enim olei, quod purum sit, omnino solventur, supernatabit vero oleum expressum, si facta fuerit adulteratio. Demum si adulteratio habeatur per mixturam olei Terebinthinæ vel aliorum oleorum essentialium vilioris pretii, varia experimenta ad detegendam fraudem adhibentur; sed facilius dignoscitur adulteratio per oleum

Terebinthinæ, cum viris expertis hæc facile patere possit vel ex solo odore, qui diffunditur præsertim, si oleum incendatur; tunc enim vividius odor oleo Terebinthinæ se prodit, vel in cochleari, si oleum accendatur, magnam copiam materiæ piceæ relinquit; rite parata genuina olea odorem plane saturatum, uti & saporem vegetabilium, e quibus sunt parata, debent continere.

Solent quidem OLEA ESSENTIALIA vetustate alterari, amittere nempe multum odoris ac saporis & pristinæ fluiditatis, aliasque extraneas proprietates induere. Reparari tamen aliquatenus hæc jactura potest, si iterum distillentur cum ejusdem substantiæ portione, ex qua elicita antea fuerant. Ut melius fiat separatio oleorum ab aqua, ubi difficilior divisio appareat, potest adjungi mixtioni sal muriaticum. Quæ quidem olea, ut statum suum tueantur sine alteratione, custodire opus est in vitreis vasis diligentissime clausis, ut omnis aëris accessus prohibeatur.

OLEUM LAURINUM.

Species olei excocti, quod ex BACCIS *Lauri Nobilis L.* obtinetur. Præparatur in locis Italiæ meridionalibus prope lacus; hinc & in locis Lario & Benaco proximis non exigua copia hujus olei conflatur. Hoc olei genus unguenti consistentiam habet, viridem colorem, saporemque ingratum & admodum amarum, odorem demum, quem habent baccæ, ex quibus paratur. Clarissimus chymicus *Paulus Sangiorgius* ingeniose monstravit, hanc olei speciem natura differre ab oleis

expressis aut fixis, cum hujusmodi oleum in alcohole integre dissolvatur, ostenditque hoc esse veluti annulum inter olea essentialia & fixa intermedium; ex quo vero quod hoc oleum solubile sit in alcohole, facile dignosci potest fraus, qua non raro adulterari solet per mixtionem adipum diversi generis apud nos communium, cum in hoc casu non plene solveretur oleum in alcohole.

Itaque genuinum oleum debet esse suaveolens fortiter, lauri plane continens odorem & saporem, coloris viridis - subflavi, grumosæ & crassiusculæ consistentiæ. Exitiosum plane est, valde viride, fluidum, æqualiter unguinosum, & parum redolens Laurum. Ærugine tinctum ejusdem erit tunc coloris, æqualiter saturate viridis, & spiritu salis ammoniaci contritum refert tincturam cæruleam; & ubi addita fuerit terebenthina, qua sæpius adulteratur, ejus odor, & sapor, ejusque combustio satis luculenter corruptionem declarant.

Hoc passim non utimur, nisi externe, eodemque æque salubriter uti possumus œconomiæ causa loco OLEI NUCIS MYRISTICÆ.

OLEUM OLIVARUM COMMUNE.
OPTIMUM.

Utrumque ex genere est oleorum fixorum, expressorum & utrumque paratur ex FRUCTIBUS *Oleæ Europeæ L.* & unum ab alio non differt, nisi pro varia ratione, qua ex iisdem fructibus exprimitur. Nam optimum exprimitur per idoneum instrumentum ex olivis perfecte maturis & ab ipsa carne nuclei, nucleo non diffracto,

quod idcirco purum est, dulce, non ingrate olens, tenue, & ad flavum colorem accedens. Commune deficit ab his bonitatis notis, & illud est, quod secunda vel tertia vice exprimitur, impurum nempe, plus minusve densum & acre; vel quod elicitur ab olivis immaturis, & amarum est, vel ex nimium maturis, & mucidum est.

Paratur hoc oleum in variis Italiæ provinciis & pro varietate locorum unum alteri præstat. Verum & nos oleum habemus in collibus Briantinis & montibus Larii, & Benacensibus, aliisque, quod si rite paretur, optimum est & usibus medicinæ egregie accommodatur. Optimum pro usibus internis, nec nisi pro his in cura pauperum maxime adhibetur, vel ipsum per se præsertim ad relaxandum in dosi unius unciæ ad dimidium usque ad quatuor, vel sæpissime sub forma emulsionis ad demulcendum per unionem cum aqua ope mucilaginis gummi arabicæ, cui sæpe adjungitur ad gratiam ei conciliandam vel saccharum vel mel, vel aliquis syrupus, atque in dosi adhibetur duarum drachmarum ad duas uncias.

Oleum hoc olivarum in curandis pauperum morbis ad cavendum dispendium subrogari optime potest OLEO AMYGDALARUM, quod multo majoris est pretii, nec tamen majoris efficaciæ, illudque præterea utilitatis habet, quod nec tam facile rancescat, nec ventriculum gravet, ut alia hujus generis olea.

Oleum autem utrumque olivarum custodiendum est in vasis vitreis, vel terreis vitrea crusta obductis in aëre frigido & sicco. Ad usus clysteris, aliosque externos, œconomiæ causa oleum commune adhibetur.

OLEUM VITRIOLI. *Acidum Sulphurosum concentratum.*

Rarius a Pharmacopolis paratur, cum facile commercium ad nos illud advehat ex Anglia & Germania inferiore. Optimum est, quod ponderosius, quod minus coloratum, quod magis incalescit cum aqua, & in quo subito corroditur penna seu linteum injectum. Illud est optimum, cujus volumen æquale 16 unciis aquæ, uncias circiter 29 adæquat. Hoc vero nullum usum habet, nisi antea rectificatum fuerit, ut suo loco exponetur.

OLIBANUM seu THUS OFFICIN.

GUMMI-RESINA, quæ trahitur ex *Junipero Lycia L.* arbore in Gallia & Sibiria crescente. Multo plus resinæ in se continet, quam gummi. Æstimandum est illud, quod purum se prodit, album, pellucidum & siccum. Adhiberi solet ad usus externos maxime in suffimigiis, loco etiam aliarum resinarum & gummi-resinarum majoris pretii.

ONONIS SPINOSA OFFICIN. *& L.*

Planta perennis apud nos communis in campis & herbosis viis. Sumitur RADIX ut plurimum in decoctione a duabus ad drachmas sex; sed cortex radicis efficacior censetur radice integra, in qua mihi contigit invenire puræ resinæ copiam.

OPIUM OFFICIN.

SUCCUS CONDENSATUS gummi-resinosus, obtinetur ex immaturis capsulis *Papaveris Somniferi L.* plantæ annuæ Orientalis. Hic succus variis modis præparatur. Inciduntur Papaverum Capita, sponte manans succus colligitur, ac solis calore cogitur in massas obscure fulvas, & ruffas. Sed hoc modo paratus ad nos minime defertur. A nobis accipitur, qui ex capsulis exprimitur, aut e capitibus contusis coquitur, & ignis adminiculo in massas majores inspissatur. Paratur etiam interdum ex succo hausto ex foliis, ex caulibus &c., vel etiam decoctionibus elicitis ex his substantiis. Nec desunt, qui eum misceant cum diversis succorum speciebus, & extraneis corporibus. Quo fit, ut sæpe habeatur opium indolis malæ, vel saltem qualitatis multo inferioris. Quare multa diligentia opus est in opio seligendo.

TEBAICUM vulgo dicitur OPIUM, sed parum interest, ex qua Orientis regione ad nos deferatur, an nempe ex Egypto, Persia, vel Anatolia, dummodo seligatur opium optimæ notæ. Oportet sit uniforme, leviter tenax, pondus constituat quo ad molem suam levius, nullas interne sordes prodat, habeatque externe colorem spadiceo-fuscum, colorem autem fulvum si comminuatur, aliquam tenacitatem si diutius tractetur digitis, odorem vehementem, tetrum, virosum, saporem amarum, & acrem, & quidpiam ardoris aliquatenus adurentis fauces. Micare insuper debet lucidis particulis si frangatur, cito concipere flammam, pene omnino in aqua solvi

& rubicundam tincturam exhibere. Rejiciendum vero, quod scatet diversis vegetabilium fragmentis, sabulo, & quisquiliis, quod colorem exhibet obsolete pullum, & habet odorem exiguum, vel adustum, quod demum friabile est.

Interne præscribitur in pulvere, in pilulis, & etiam solutum a quarta grani parte ad dimidium grani, ad unum usque ad duo; augeri tamen quantitas potest pro rei necessitate, maxime in iis, qui sint huic remedio assueti, sed augenda dosis est per gradus maxima prudentia & cautione; nam si dosis modum excesserit, vel male administretur, gravia parit incommoda, ut inter cætera sunt dyspnœa, anxietas, vertigo, languor, mœror, sopor phantasiis horrendis turbatus, sensuum abolitio, lipothymia, vomitus, delirium ac ipsa aliquando mors. Cum datur in pulvere ad facilius ac tutius faciendam æqualem ipsius partitionem, oportet conjungi cum saccharo aut pulvere liquiritiæ, aut aliis substantiis. Cum vero præscribitur in massis pilularum, aut in aliquo electuario, antea solvendum est aliqua vini copia, aut aliquo syrupo, vel alio fluido, quod præparato congruat, ut ejus partitio accurata & æqualis in massis fiat. Frequentius juvat opium conjungi cum aliis remediis, uti cum CHINA vel ALIIS AMARIS, cum HIPECACUANHA, CAMPHORA, cum PRÆPARATIS MERCURIALIBUS, ANTIMONIALIBUS &c. pro vario morborum genere. Magna est opii vis, nata magnis producendis effectibus, sed maximi interest, optimum seligere & caute adhibere. Externe autem adhibetur opium solutum, commixtum unguentis &c. Paratur ex eo LAUDANUM LIQUIDUM.

Præterire nolo experimentis constare ex capitibus immaturis PAPAVERUM ALBORUM, quæ in hortis nostris coluntur, de quibus dicam paulo post, opium conflari ex æquo posse; si nempe capita sumantur & vacuentur seminibus, deinde capsulæ subtiliter contundantur & ex ipsarum pulvere infusio extrahatur in aqua frigida, quæ deinde pressione percoletur, & facta evaporatione ea, qua opus est, cautione ad debitam consistentiam perducatur. Certum est hoc opii genus ita conflatum eadem vi & exitu, quo opium ex Egypto advectum, operari. Imo testatur clar. *Lieutaud*, se per experimenta didicisse, hoc opium ex supradictis papaveribus extractum minus esse periculosum, & agere quietius, ac tutius. Quare optandum est, ut Practici hoc OPII genere utantur, ac ita confirment, quod clar. Auctor, aliique de eodem opio dixerunt. Illud enim commodum haberetur, quod nobis opium esset inpromptu minoris pretii, & quod pluris faciendum est genuinum, atque sincerum, virtute sua constans, magisque remotum ab adulterationibus, quibus exoticum obnoxium est.

Etiam ex capsulis *papaveris rhœas L.*, quod inter segetes copiose nascitur apud nos in campis, eo ferme modo, quo nuper diximus de capsulis PAPAVERIS ALBI, fieri potest EXTRACTUM, quod multum accedit ad indolem & proprietates OPII, cujus propterea usus non secus ac alterius utilis esse posset in curatione morborum, & aliquibus in circumstantiis fortasse præferri, quod sane non utilitati solum ægrotorum, sed etiam œconomiæ inserviret. Cæterum in ea sum opinione, ut credam ad præparatio-

nem EXTRACTORUM, quæ diximus PAPAVERIS ALBI, & *papaveris rheas* loco processus, quem indicavi, utilius extrahi posse ex immaturis capsulis succum PAPAVERUM utriusque speciei, atque hunc per naturalem, vel saltem blandissimam evaporationem ad debitam consistentiam reduci. Hæc iterum monere volui spe illectus fore, ut Practici loco exoticorum remediorum, quæ tam sæpe cum dispendio & minus secure non raro adhibentur, in usum nostra deducant magis obvia, facile comparanda, ex æquo utilia & eidem fini vel saltem non multum dissimili assequendo satis idonea, & quæ longius absunt a periculo adulterationis.

P.

PAPAVER ALBUM OFFICIN. *Papaver somniferum L.*

Planta annua quæ crescit in locis ruderatis Europæ australioris & apud nos in hortis colitur, ejusdem speciei cum papaveribus, ex quibus OPIUM extrahitur, & nascitur, ut diximus, in Orientis regionibus. Adhibentur CAPSULÆ, vulgo CAPITA passim ad parandum SYRUPUM, in cujus præparatione pariter immaturæ capsulæ esse debent, seminibus emissis.

PINI RESINA seu RESINA FLAVA OFFICIN.

Est RESINA SOLIDA, quæ ex *Pinu sylvestri L.* colligitur, arbore crescenti in sylvis glareosis. Eligenda, quæ sit nitide flava. Externe

adhibetur fere semper tanquam ingrediens seu pars, quæ variis unguentis & emplastris unitur. Jure substituitur PICI, & locum quoque supplere abunde posse videtur PICIS BURGUNDICÆ. Sic ipsa etiam adhiberi potest loco RESINÆ vulgo COLOPHONIUM nuncupatæ, utpote parum ab ista differens.

POLYGALA VULGARIS OFFICIN. & *L.*

Planta perennis, quæ habitat in montuosis locis. Adhibetur maxime RADIX in pulvere a dimidio drachmæ ad duas, usque ad tres, sed communius in infusione aut leni decoctione a duabus ad quatuor drachmas & usque ad duodecim.

Hæc polygalæ species in curatione pauperum locum *Senekæ* tenere potest, cum ex una parte vim fere eandem habeat, & ex altera multo minori pretio acquiratur, cum in montibus proximioribus crescat. Ubi vero facile alia polygalæ species, quæ dicitur *amara*, colligi posset, præferenda esset polygalæ vulgari, utpote magis accedens ad Virginianam seu Senekam, efficacia & proprietatibus suis. Hæ duæ species a se ipsis distinguuntur, cum vulgaris constet caulibus herbaceis, simplicibus, procumbentibus, foliis lineatis lanceolatis; colorem autem floris habeat nunc purpureum, nunc rubeum, raro candidum; saporem autem radicis subacrem & vix amaricantem; Altera vero scilicet amara constet caulibus erectiusculis, foliis circa radicem rotundioribus, flore cœruleo, habeatque saporem radicis admodum amarum. Hac postrema nota

vulgaris ab amara distinguitur etiam in *Hannov. magaz.* *L. C.* Verum utraque species praescribi debet majori dosi, quam seneka praescribitur.

PRUNUS DAMASCENA OFFICIN. *Prunus domestica L.* Prune massime LONGOBARD.

Arbor crescens in sublimibus locis Europæ & in vineis. Adhibetur FRUCTUS ad PULPAM parandam, ut dicam in altera parte.

PULEGIUM OFFICIN. *Mentha pulegium L.*

Planta perennis, quæ ubique nascitur inter nos prope paludes, sive in humidis locis. Adhibetur HERBA, quæ utpote magis obvia apud nos, minorisque sumtus quam MENTHA CRISPA, multoque magis quam PIPERITA, apta est externis usibus tam in substantia per fomentum siccum aut sub forma cataplasmatis, quam in infuso per fomentum humidum; loco duarum aliarum, quas memoravi, aliorumque rariorum aromaticorum. Sic etiam ad reparandum defectum vel inopiam duarum menthæ, quas dixi, specierum parari potest AQUA DESTILLATA PULEGII, loco aliarum aquarum menthæ adhibenda.

QUERCUS OFFICIN. *Quercus Robur L.*

Arbor in sylvis & montibus crescens satis communis & nota.

Præscribitur CORTEX & GLANDES. Ex cortice paratur etiam EXTRACTUM; quod supplere potest locum EXTRACTI TORMENTILLÆ, aut aliorum majoris pretii adstringentium.

Cortex non e trunco, sed e ramis tenellis avelli debet, atque præscribitur in pulvere & in decocto, facto maxime ex recenti cortice, interne raro, externe sæpius. Verum in utroque casu frequentior esse deberet ipsius usus loco aliorum remediorum majoris expensæ; præsertim si conjungatur cum remediis amaris. Cortex interne si quando præscribatur, quod raro contingit, dosim habere debet in substantia a dimidio drachmæ ad duas, in decoctione ab una drachma ad unciam unam. Decoctio vero adhibenda externe, ut sæpius fit, saturatior esse debet, quam quæ pro usibus internis adhibetur, ac ideo majorem postulat corticis dosim. Decoctum tam ipsum per se quam virtute auctum alio opportuno ingrediente in curatione maxime pauperum ad finem gargarismi, fomentationis &c. frequenter præferendum esset decoctioni chinæ. Ipse Celeb. *Hanemann* plurimum commendavit corticis quercus bene saturam decoctionem in curatione gangrenæ, ubi sæpe omnia remedia celebriora inutiliter adhibentur. Vel ipse cortex in pulvere, ut ego quidem opinor, sæpius loco chinæ proposito scopo optime responderet. Cortex in pulvere in sacculis lineis reposito & his mersis vino, ac deinceps appositis herniis, præsertim in ægrotis tenerioris ætatis adeo prodesse conspicitur, ut pro remedio tutissimo habeatur. Rursus opinor, ut alibi

generatim monui, ubi de china dixi, etiam pro usibus internis tam corticem quercus in pulvere, quam ejus extractum, magis vero ipsius decoctionem, mixtam nempe cum aliis pulveribus, decoctionibus aut extractis amaris vices chinæ ejusque præparatorum explere posse. Ex his quisque videt, quantum locorum piorum & pauperum generatim œconomiæ prodesse possint variæ remediorum substitutiones, quæ sine detrimento ægrotorum facile fieri possent, ubi in medicina & chirurgia a viris probis & in arte peritis exercerentur.

Glandes esse possunt & ipsæ alicujus usus. Referunt aliqui eas præscriptas per modum chinæ bonos peperisse effectus affines effectibus chinæ. Dantur autem a dimidio drachmæ usque ad quatuor. Nonnulli etiam torrefactas eas laudant exhibitas a dimidio drachmæ ad tres in infusione ad instar coffei ad colaturam circiter octo unciarum, ac ita infusio obtinetur, quæ saepe adhibetur utilius, ubi aliqua portio veri coffei adjungatur.

RHABARBARUM s. RHEUM OFFICIN. *Rheum Palmatum L.*

Planta perennis crescens in partibus Chinæ, cujus adhibetur RADIX exuta primum exteriori cuticula. Subministratur interne integra terenda dentibus, aut in pulvere in adultis ab uno scrupulo ad duos & etiam ad drachmam unam; minori autem in dosi cum aliis unitur purgantibus, quod sæpius multum expedit facere, præsertim si uniatur remediis salinis. Sæpe autem

utiliter conjungitur alicui substantiæ aromaticæ. Præbetur etiam interne in infusione, quæ fit in aqua a duobus ad quatuor scrupulos & usque ad quatuor drachmas. Ab usu rhabarbari in substantia aut in infusione aegrorum urina sæpe tingitur colore flavo saturato. Oportet vero rhabarbarum adhiberi semper recenter contritum in pulverem & diligenter curandum, ut bonæ sit qualitatis, ac ideo sequentes notas præseferat.

Radices esse debent mediocriter crassæ & mediocriter ponderosæ, cum duritie aliqua fragili, perfecte siccæ, externe dilute luteæ, digitum flavedine non inficientes, interne dilute croceæ cum albis & rubeis venulis, nucis moschatæ instar, eleganter variegatæ, odoris aromatici non multum ingrati, saporis accedentis ad amarum & acrem levissime nauseosi. Et rhabarbarum quod ex Russia defertur & per terram advehitur, alteri præferatur. Ex eo paratur SYRUPUS.

Hujus rhabarbari radix copiam continet *oxalatis calcis* eoque majorem, quo antiquior radix est; & ipse expertus sum radicem maxime in pulvere esse criterium tutissimum pro dignoscenda praesentia cujuscumque portionis ALCALI liberi in omnibus corporibus.

SABADILLA OFFICIN. An *Veratrum Sabadilla L.*

Planta perennis ex Mexico, cujus CAPSULÆ adhibentur cum SEMINIBUS suis, licet accuratius utendum non esset nisi seminibus.

Hæc saepius & communius usibus externis inserviunt, saepius in pulvere, interdum etiam in infusione; ea tamen cautione, ut in pulverem paulo antea conteri debeant, quam adhibeantur. In infusione, quæ præparatur a dimidio drachmæ usque ad duas pro colatura ad summum sex unciarum vehiculo semina præscribuntur etiam pro clysteribus, praesertim adversus vermes intestina occupantes; quem in finem licet rarius, interdum tamen præscribi semina solent etiam interne in substantia, contrita in pulverem pro infantibus duorum aut quatuor annorum ab uno grano ad unum cum dimidio bis in diem; pro adultis vero a quinque granis, a decem, viginti usque ad dimidium drachmæ, aut simpliciter addito pulvere sacchari, aut sub forma bolorum.

Pro pauperibus autem in eum praesertim finem, ut pediculi extinguantur, praedictis seminibus expedit subrogari SEMINA CONSOLIDÆ REGALIS OFFICINALIS, & *Delphinii Consolidae Linnaei*, quæ planta a LONGOBARDIS nuncupari solet VIOLE DEL CORNO, estque annualis & crescit apud nos in terris excultis, & in hortis ali solet. Hæc substitutio pari cum exitu fieret & executioni mandanda esset eo præsertim tempore, quo augetur sabadillæ pretium. Porro SEMINA memoratæ consolidæ sunt angulosa, nigri coloris & saporis amari & ingrati.

SACCHARUM ALBUM OFFICIN.

Substantia est satis nota advecta ex America & ex *arundine saccharifera*, quæ planta

perennis est, succo expresso & per evaporationem & depurationem densato. Licet ipsa unica planta non sit, e qua saccharum possit obtineri, attamen velut unica reputatur, quæ cum utilitate simul & œconomiæ proventu Saccharum dare possit. Caeterum de hac re legi potest, quam jam pridem typis edidi de ZEA MAYS Analytica disquisitio.

Usus Sacchari tam internus quam externus est; sed in curatione pauperum admodum parce & paucissimis in casibus adhiberi debet, cum fere generatim, ut alias monui, saccharo subrogari MEL possit Ipsum datur in pulvere simpliciter & solutum, sed fere semper aliis efficacioribus remediis unitum, nec in formulas ingreditur nisi tanquam constituens vel corrigens. Interdum conficiendo Elæosaccharo & saepius alicui syrupo inservit, hic tamen observatis iis, quae dixi in monitis praeliminaribus pag. 36. & 37.

Abusio sacchari nocet in infantibus debilibus, praesertim rachiticis, in puellis chloroticis, in mulieribus histericis, in hipochondriacis &c.

SAL AMMONIACUS OFFICIN. *Murias ammoniacae.*

Sal ammoniacum, quod commercio acquiritur, adhiberi solum debet pro usibus externis solutum in aqua ad usum fomentationis aut ablutionis præsertim in curatione scabiei, saepe autem aliis ingredientibus & vehiculis conjunctum. Inservit etiam præparationi SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

Depuratur sal, ut dicam parte secunda; & pro internis usibus non adhibetur nisi sal depuratum.

Genuinus sal totus avolat igni expositus in cochleari ferreo. Impurus partes peregrinas relinquit, quæ si fuerint terreæ vel metallicæ indolis, manent etiam, cum sal iis infectus aqua solvitur. Rursus genuinus sal esse debet albus, purusque & calce viva contritus, aut cum sale alcalino fixo præsertim caustico, continuo diffundit odorem penetrantem alcali volatilis.

SAL CATHARTICUS AMARUS s. ANGLICUS.
Sulphas magnesiae.

Si purus sit, albus esse debet, facile in aqua solubilis, aëri expositus humiditatem in aëre non contrahens, nec in ipso fatiscens in pulverem, nec acquirens superficiem farinaceam, sed in aëre manet siccus, pellucidus: exhibere autem debet saltem novemdecim magnesiæ partes pro singulis centum libris salis.

Ipse vero præscribitur ore sumendus & pro clysteribus solutus in aqua simplici aut alio vehiculo pro rei indole congruo a tribus drachmis ad sex usque ad duodecim. Juvat interdum ipsum præscribi iteratis vicibus sumendum. Minus ingratus hujus salis usus efficitur, aliæque utilitates obtinentur, ubi præscribatur solvendus in infusione chamomillæ aut in aqua menthæ &c. Additur etiam in dosi alicujus drachmæ aliis remediis ad augendam horum vim purgantem. Circa hujus salis usum videri potest, quod dictum est, ubi de manna. Cæterum cavendum ab ejus

usu utpote noxio in dysenteria, in intestinorum inflammationibus &c.

Pari successu hujusmodi sal substituitur præsertim in curatione pauperum variis aliis salibus ut ajunt purgativis neutris majoris dispendii ex. g. SALI SEDLICENSI, MUTINENSI, MIRABILI GLAUBERI &c.

SAL MURIATICUS, s. COMMUNIS, s. CULINARIS. *Murias sodæ.*

Hic passim non adhibetur nisi solutus. Raro interne præscribitur, licet alioquin frequentius adhiberi posset, ubi caute præscriberetur. *Greding* apud *Gmelin* de hoc salis genere ita loquitur. Convenit vero sal culinare facultate alvum ducendi cum reliquis salibus neutris, ut tamen plurimis reliquis vehementius irritet, æstum, sitim, facilius quoque vomitum, ventriculi spasmos, ardorem &c. cieat, largiori paulo manu ingurgitatum. *Gmelin* autem sic de hoc sale prosequitur. Præcellit autem aliis dotibus sal commune &c. videatur *Gmelin Apparatus* &c. pag. 79.

Cum hoc sal interne præbetur, præscribi debet a dimidio drachmæ ad unam, duas, ad tres, ad summum ad sex. In his majoribus dosibus agit instar purgantis; in minoribus prodest in tumoribus scrophulosis, in strumis &c. Celebratus est hujus salis usus simul cum succo Citri tamquam efficax etiam pro aliis morbis, inter quos potissimum diabetis morbus meretur recenseri utpote pertinacioris indolis & difficilis curationis. Ego quidem de hac re certum judi-

cium pronunciare non audeo. Res sola experientia definiri poterit.

Sæpius sal iste præscribitur pro externis usibus, & additur etiam clysteribus pro stimulanti utilissimo. Solutus in aqua inservire potest præparationi, quæ per imitationem accedat ad AQUAM MARIS artificialem ad usum balneorum aptatam, ubi novem circiter unciæ hujus salis pro singulis quadraginta aquæ libris solvantur. Cum vero prædicta aquæ copia complecti deberet tres alias circiter uncias aliorum differentium neutrorum salium, hinc ubi de pauperibus ageretur, istorum salium defectus suppleri posset fere pari successu per additionem aliarum trium unciarum muriatis sodæ, vel duarum solum cum additione unius unciæ sulphatis magnesiæ; quo ad propositum scopum res magis accederet.

Ad hanc ipsam aquæ marinæ imitationem obtinendam prodesse potest usus salis muriatici, quod in aëre humidum fit; quod tamen sal pro aliis usibus minime inservit, ne pro culinaribus quidem, cum satis indicet ea puritate minime constare, quæ pro his usibus postulatur.

Cum purus est sal, albus est, habetque saporem salsum gratum, & aëri expositus exsiccatur magis, quam humidus fiat.

SALIX OFFICIN. *Salix alba L.* Gabba LONGOBARD.

Arbor mediocris, qui apud nos in locis humidis ubique crescit, cujus RAMORUM CORTEX adhibetur interne & externe in pulvere &

in decoctione, quemadmodum china, utilius tamen, si cortex sit viridis. Ex eodem utiliter fieri potest etiam extractum. De hujus corticis usu huc revocetur quod dictum de china. Observavi hunc effectibus æquivalere CORTICI SIMARUBÆ ea sola cautione, quod majori dosi exhibeatur.

SAMBUCUS OFFICIN. *Sambucus nigra L.*

Frutex magnus & pene arbor, qui passim apud nos inter sepes nascitur & ad margines agrorum. Hujus plantæ adhibetur CORTEX INTERIOR sive LIBER VIRIDIS, FLOS SICCUS & BACCA RECENS. Præscribitur cortex recens in succo cum aptis vehiculis passim suscipiendo ab una drachma ad quatuor, & in decoctione a duabus drachmis ad dimidium unciæ usque ad unam, immo aliquorum praxi usque ad quinque ad confectionem unius libræ decoctionis variis vicibus suscipiendæ. Flores vero, qui mundari pedunculis debent, præ cæteris hujus plantæ partibus magis adhibentur optimo cum exitu interne in infusione ad instar Thee a dimidio drachmæ ad duas pro quavis infusi libra; quod quidem infusum frequenter inservit diversis remediis pro vehiculo seu menstruo; adhibentur etiam externe per modum siccæ fomentationis, aut per modum fomentationis humidæ adhibetur infusio vel decoctio, quæ tamen facta sit levi ebullitione, vel sub forma cataplasmatis ex ipsius pulvere compositi. Baccæ demum præparationi RHOOB inserviunt.

SAPO VULGARIS PURUS. *Sapo ex oleo olivarum & soda confectus.*

Hic quidem ad usus internos a Pharmacopolis & absque calore parandus esset. Verum cum sapo alicantinus fere semper puritate & bonitate ei æquipolleat, qui in officinis paratur, hinc arbitror, ad scopum nostrum optime per alicantinum posse suppleri, cum ex una parte alicantinus minori pretio acquiratur, & simul ex altera operatio pharmacopolæ vitetur.

Perperam antea creditum fuit, utendum in medicina esse venetorum sapone, cum constet, eum frequentius impuritatibus scatere, ut propterea adhiberi ipse nequeat nisi ad usus externos. Rursus commixtus ille invenitur substantiis heterogeneis, a quibus prodeunt aliquæ maculæ cineraceæ & cæruleæ, quæ speciem quandam marmoream ipsi dant. Prædictæ substantiæ sunt sulphas ferri, magnesium, atque etiam sententia *Wagenfeldi* oxidum flavum arsenici, ut propterea non raro, eodem auctore teste, funestos eventus pepererit interne adhibitus.

Bonæ qualitatis sapo hisce notis distinguitur. Sit albicans, durus, levis, digitos pinguedine non inquinans, neque ingratum, rancidumque odorem prodens; aëri expositus nec humidus nec mollior fieri debet, neque emittere in superficie salinam efflorescentiam. Integre solvi debet in aqua pura, neque ab hac solutione separari debet aliqua olei gutta, aut substantiæ terreæ vel alterius portio. Qui vero variegatus fuerit, ac recensitis dotibus oppositas præferat, rejiciatur.

Sæpe interne præscribitur in pilulis, raro in electuariis aut solutus. Quocumque modo adhibeatur, fere semper conjungitur cum aliis remediis præsertim aromaticis, aut tonicis saponaceæ naturæ, ut sunt amara extracta, gummi ammoniacum &c.; dosis pro adultis est a dimidio scrupuli ad duos ad drachmam unam usque ad tres; pro infantibus a duobus granis ad quatuor ad decem usque ad dimidium drachmæ; atque pro infantibus præbetur semper in aqua, vel in lacte solutus. Expedit rursus, semper adhiberi solutum, ubi noxii effectus reparandi sint, quos produxerint acida mineralia, mercurius sublimatus corrosivus, aliaque hujus indolis venena. In hisce casibus, in quibus actio remedii promtior exigitur, saponis usus utilius in solutione adhibetur, cum alia forma longe lentior ac tardior evaderet ipsius operatio.

Nimis evidenter erraret, qui saponem alcalinum simul cum acido præscriberet, cum hac mixtione mutationem, atque alterationem qualitates, proprietates & actiones ipsius paterentur. Hinc abstinendum est ab eo præscribendo etiam simul cum cremore tartari. Censent aliqui, ejus usum non expedire in ægrotis hæmorrhoïdalibus, scorbuticis &c.

Rursus sapo adhibetur etiam ad usus externos nunc solutus in aqua simplici vel lacte, cui tamen subrogari posset decoctio altheæ vel malvæ ob eas rationes, quas protuli, ubi de althea; nunc solutus in aliis liquoribus; & utroque modo solutus inservit clysteribus, balneis, ablutionibus, fomentationibus; nunc vero redactus adhibetur ope ejusmodi liquorum ad formam cata-

plasmatis aut ipse solus, aut aliis ingredientibus conjunctus. Adversus chemiæ præcepta peccant mutantque reciprocam remediorum actionem ii chirurgi, qui saponem alcalinum præscribunt unitum extracto, aut sali, aut acetiti saturni.

SAPONARIA OFFICINALIS *L.*

Planta perennis, apud nos crescens in locis humidis & arenosis. Adhibetur RADIX & HERBA, sed maxime radix. Utraque in decoctione frequentius non nisi interne præscribitur. Recens radix sumitur ab unciæ dimidio ad duas, exsiccata a duabus drachmis ad sex; folia viridia in decoctione licet rarius quam radix præscribantur, ab unciæ dimidio ad duas cum dimidio, sicca vero ab una drachma ad quatuor. Redditur vero jucundior decoctio, si aliquid liquiritiæ adjungatur. Radix remediorum unum est tritius usu atque utilius præsertim in curatione pauperum, cum ipsa reputetur succedanea vel ipsæ SARSÆ PARILLÆ atque RADICI CHINÆ DULCI. De hac re videri potest etiam quod diximus de dulcamara.

Loco radicis saponariæ alicubi a mulierculis, quæ herbas colligunt, & vel ab ipsis pharmacopolis sive imperitia in re botanica, sive quæstus causa colligitur *Lichenis dioica Linnæi*, quæ albi coloris est, cum saponaria officinalis rubicundum colorem exhibeat.

SCILLA, seu SQUILLA OFFIC. *Scilla maritima L.*

Planta perennis, quæ nascitur in arenosis

locis ad littora maris in Sicilia, in Hispania &c. Adhibetur RADIX seu BULBUS interne, ipsaque adhibetur viridis in substantia sub forma pulpæ redigendæ cum aliis ingredientibus in pilulas, aut addendæ alicui mixturæ a granis quatuor, sex, decem, viginti usque ad dimidium drachmæ, & sæpius adhibetur exsiccata, quæ dicitur squilla præparata, de qua dicam in parte altera. Inservit ACETI & OXIMELLIS SCILLITICI præparationi.

Si scilla recens duarum drachmarum libræ vini affundatur, & post horas sex liquor percoletur, VINUM exurgit, quod SLILLITICUM dicitur, cui sæpe expedit addi aliquod aromaticum, ut esset tinctura calami aromatici &c., & præscribitur ab unciæ dimidio ad tres sumendum distinctis vicibus & fere semper cum aliis liquoribus. Practicorum aliqui vel ipsam squillam in substantia cum aromaticis capiendam commendant. Hæc enim de scilla in re nostra scribit clar. *Baldinger*, idemque reputat de HIPECACUANHA. Scilla & Hipecacuanha ventriculi imbecillitatem efficiunt, quam ob causam scilla cum aromate quodam v. c. flavedine corticum citri, calami aromatici &c., simul præscribi solet.

Antequam bulbus adhibeatur, a siccis squammis utpote nullius efficaciæ exui debet. Sed caute manibus contrectanda est; quoniam si recens sit, in contactu cutis aliquantulum diuturno inflammationes parit; & interdum vesicas ciet. Qua de causa pro his effectibus obtinendis aliquando applicatur externe vel sola per se, vel magis in forma cataplasmatis simul cum aliis ingredientibus. Ipsius acrimonia ope SALIS ALCALINI aliqua ex parte corrigitur.

Scilla ejusque præparationes remedium valde efficax exhibent, caute tamen & cum judicio maxime ad usus internos adhibendum præsertim in dosis præscriptione. Scilla tam recens, quam ipsius præparationes vim suam exerunt præsertim in renes, atque pulmones. Hæc remedia in majori dosi præscripta vomitum excitant, in minori alvum, in minima urinam. Ubi vero vel contra indicationem, vel præter dosis limites adhibeantur, parere possunt vehementem vomitum; tormina, urinam sanguine tinctam, ventris fluxus, convulsiones, inflammationes ventriculi, corrosiones, aliaque graviora incommoda ac demum in mulierculis gravidis vel ipsum abortum cum vitæ discrimine. Quibus malis effectibus, si exoriantur, reparandis præscribi possunt demulcentes potiones, ut sunt decoctiones aliæque mucilaginosæ potiones, tum etiam emulsiones, lac aliaque similia. Utilis est etiam maxime ab initio aliqua dosis SALIS ALCALINI rite diluti, aut melius fortasse portio saponis alcalini in abundanti vehiculo dissoluti.

SCORDIUM OFFICIN. *Teucrium scordium L.*

Planta perennis, quæ habitat in locis humidis, cujus HERBA adhibetur a duabus drachmis ad unciam unam in infusione vel levi decocto, quod tum interne, tum externe præscribitur, addito utiliter ad usus externos frequentius nunc sale communi, nunc aceto, nunc vino.

Quidam ex practicis medicis maximæ celebritatis in hoc remedio ad usus internos adhibito vim stimulantem deprehendit, aliis stimulantibus præcellentem.

SEBUM OVILE, seu ARIETIS SEBUM. Videatur pars secunda.

SERUM LACTIS VACCINUM.

In curatione maxime pauperum adhibendum est prout apud vendentes prostat, absque ulteriori depuratione, cum immo aliquando istud habere possit utilitatem majorem. Præscribitur solum suscipiendum a sex unciis ad tres libras & ultra. Præscribitur etiam tanquam excipiens vel constituens in confectione aliquarum potionum aliorumque remediorum. Expedit interdum cum alio ingrediente temperari, sive ut ajunt alterari. Sed ubi alterandus sit cum nasturtio, taraxaco, cichorea, aliisque plantis, tum expedit addi, si tempestatis ratio faveat, succum ab his plantis expressum, loco ebullitionis cum istis herbis faciendæ. Juvat etiam, ne acescat in ventriculo, aut ad corrigendum si quem suscepisset acorem, adjungi quidpiam magnesiæ præsertim calcinatæ, idemque faciendum cum LACTE, cui plurimum prodest additio magnesiæ in hominibus debilis stomachi, aut in infantibus, ut facilior digestio habeatur, impedita nimirum, ne obveniat, ipsius aciditate. Meliorem quoque pro debilitate stomachi utilitatem affert, si præter magnesiam lacti adjungatur quidpiam jucundi aromatici. Inservit etiam serum præparationi SERI LACTIS ALUMINOSI, & SINAPISMI.

SINAPIS OFFICIN. *Sinapis nigra L.*

Planta annua, quæ in agris ruderatis & lo-

cis lapideis nascitur. Adhibetur SEMEN, sed illud repudiandum, quod saporem parum acrem redolet & quod madefactum aqua ebulliente parum aut nihil odoris penetrantis & irritantis exhalat.

Raro pro internis usibus adhibetur in pulvere, sed magis præscribitur in infusione in aqua vel sero, & sub hac forma efficitur remedium stimulans multum efficax in pluribus morbis. In substantia exhibitum præbetur a dimidio scrupuli ad drachmam unam; in infusione vero ab una drachma ad quatuor & usque ad sex. Externe sæpe applicatur sub forma cataplasmatis sive SINAPISMI. Utiliter quoque administratur decoctio sinapis pro balneo vel ablutione, quæ tamen decoctio fieri debet ebullitione exigua & in clausis vasis. Quomodocumque adhibeatur, illud curandum est, ut conteratur in pulverem eo momento, quo est adhibendum. Sinapi abstentes interne morosos & melancholicos fieri dicunt.

SOLANUM HORTENSE OFFICIN. *Solanum nigrum L.*

Planta annua, quæ apud nos crescit in ruderatis & incultis locis. Adhibentur FOLIA pro externis & internis usibus, semper tamen caute, cum si adhibeantur maxime interne in dosi majori, non exigua pericula afferre possint ægrotis. Rarissim interne non præscribuntur folia nisi recentia in infusione ab uno scrupulo ad duos, & usque ad drachmam unam cum dimidio ad perlationem unius libræ infusionis, nec ultra. Ex-

perimentum quoque capi posset interne foliorum exsiccatorum in infusione, & caute a perito medico etiam pulveris in substantia. Non auderem tamen dicere a periculo tutum usum succi. Cl. *Cirillus* usum infusi foliorum viridium tamquam remedium diureticum commendavit, & egomet vidi usum hunc sæpius bonum exitum habuisse, non secus ac usus DIGITALIS PURPUREÆ. Hoc certe remedium ex eorum numero est, quae adhiberi non deberent nisi a medicis maximi judicii & experientiæ ad ea mala cavenda, quae testibus *Boerhaave* & *Wepfer* producta sæpe fuerunt. Communiora quæ oriuntur incommoda sunt capitis gravitas, faciei, & artuum tremor, ardor.

SPONGIA OFFICIN. *Spongia Officinalis L.*

Zoophyton, quod in Mediterraneo reperitur scopulis adhærens. SPONGIA melior censetur, quæ levis sit, mollis, coloris fusci, multum tenuis, accedentis ad flavum, vel melius ad album, exiguis foraminibus aperta. Hæc non adhibetur nisi externe, & eo modo parata, quo dicam in altera parte.

SULPHUR CITRINUM. *Substantia simplex combustibilis.*

Non unum hujus sulphuris genus commercio prostat. Sed illud quod CITRINUM vel FLAVUM dicitur seu in canna, purius est ac destitutum esse debet sapore. Hoc uno utendum pro externis usibus. Pro internis autem multo purius

etiam exigitur, ac tum nomine donatur FLORUM SULPHURIS, qui per sublimationem sulphuris flavi obtinentur. Labor hic cum multum tædium afferat, atque hoc florum genus in propriis hominum huic commercio destinatorum officinis magna copia inveniatur, Pharmacopolæ inde sibi eos comparare ut plurimum consultius ducunt. Parantur in officinis Angliæ & Belgii & inde ad nos advehuntur.

Genuini flores exhibere debent colorem flavescentem. Cum autem per sublimationem sulphur extricetur solum a partibus terreis & fixis, non vero a volatilibus, cumque non raro contingat portionem aliquam arsenici in sulphure con:ineri, ideoque & in ipsis floribus, ad hanc im:juritatem attentio est convertenda, & magnope:e curandum, ut certior fiat pharmacopoia nul:am vel exiguam ejus copiam existere. An vero ulphur aut flores quidpiam arsenici contineant, dmonere potest sublimatio sulphuris, & iterata ublimatio florum. Nam ubi prope finem subli:nationis, quæ repentina esse debet, flores sulhuris incipiant rubescere, signum erit certissi:num arsenici admixti sublimati. Cum rursus ores sulphuris sæpe contineant portionem acidi itrioli liberi, opus est antequam adhibeantur, res tutius procedat, eos ablui cum aqua ebul:nti ac inde exsiccari.

Adhibentur flores interne a granis sex ad ginti, triginta, & aliquando usque ad unam achmam, aut simpliciter uniti saccharo, aut emori tartari, aliisque ingredientibus, aut in lulis confectis cum roob, vel extracto, vel in :ctuario simul cum aliis ingredientibus; cum

sæpe utilior sit ejus cum aliis remediis conjunctio. Clar. *Quarin* (vid. animadvers. practic. in diversos morbos Vienn. Austr. 1786. 8. c. 15. pag. 283.) hoc remedium commendat in morbis a transpiratione suppressa natis ex. c. in rheumatismis, & in ipsa arthritide vaga, aut cum roob sambuci, aut cum antimonio & gummi guajaco in pilulas formatum. Utiliter quoque adhibetur adversus arsenicum, sublimatum corrosivum, plumbum & viride æris. (videatur *Navier contre poisons de l'arsenic, du sublimé corrosif et du plomb* a Paris 8. 1. 1777.) Denique pro usibus externis passim non adhibetur nisi sub forma UNGUENTI. Inservit præparationi HEPATIS SULPHURIS.

TANACETUM OFFICIN. *Tanacetum vulgare L.*

Planta perennis, quæ apud nos habitat ad fossarum margines, & in humidis locis. Habetur varietas foliis crispis. FLOS sejunctus a calice præscribitur, utilius autem SEMEN. Interne adhibentur flores in pulvere a dimidio scrupuli ad dimidium drachmæ usque ad duas & in infusione in aqua vel lacte facta ab una drachma ad sex. Semina vero in pulvere a granis sex ad drachmam unam. In infuso autem similiter facto a dimidio drachmæ ad tres. Tam floribus quam seminibus quocumque modo præscriptis non raro addi possunt alia remedia, & pro remedio, ut ajunt anthelmintico, juvat præscriptio simul cum purgantibus drasticis facta. In infusione tam flores quam semina aliquando etiam pro clysteribus adhibentur.

Hoc remedium etiam pro œconomia utilissimum est cum flores hujusmodi, multoque magis semina, quæ vilissimo pretio haberi possunt, non inferioris sint efficaciæ, quàm sit SEMEN SANTONICUM, vel CINÆ, vel SEMEN CONTRA, vel SANCTUM, quæ longe majoris sumptus sunt. Atque hac de causa cum medicinam pro pauperibus speciatim respiciam, de Santonico dicere præterivi, quemadmodum etiam de HELMINTHOCHORTON, cujus cum eadem de causa mentio facta non sit in ea, quæ olim edita fuit, pharmacopæa ad usum Nosocomii Ticinensis, ephemerides quædam germanicæ, maximo quidem judicio & urbanitate, id pharmacopææ vitio verterunt. A quo tamen facile liberari ea potest non solum nuper adducta ratione, quod in curatione pauperum remedia indigena exigui pretii exoticis majoris sumptus semper præferre mihi proposuerim; sed etiam quod apud nos rarissimum hoc remedium sit, cum & mihi contigerit licet magna cura ex Corsica aliisque regionibus conquisitum, nescio quo fato, saltem genuinum non nisi exigua quantitate obtinere potuisse. Quæ ratio satis, ut puto, me excusare potest, quin quæstionem ingrediar, an ea sit hujus remedii specifica virtus, quæ a multis cæteroquin illustribus medicis plurimis experimentis eidem tribuitur.

TARAXACUM seu DENS LEONIS OFFICIN.
Leontodon taraxacum L.

Planta perennis, quæ habitat propter vias & in pratis. Præscribitur interne TOTA PLAN-

TA cum RADICE, sed utilius recens adhibetur, melius in succo, aut in decoctione præsertim RADIX, cui si recens desit, exsiccata subrogari potest. Inservit etiam præparationi EXTRACTI. Dosis autem ejus sive in succo sive in decocto eadem est cum dosi cichoreæ.

TARTARUS CRUDUS. *Tartris acidulus potassae impurus.*

Inservit tantummodo ad parandum *carbonatem potassae* seu SALEM TARTARUM ALCALINUM.

THEREBINTHINA.

RESINA LIQUIDA, quæ a variis *Pinis* subministratur. Purior quæ apta esse potest internis usibus & quæ impropriè dicitur Veneta, manat a *Pinu Larice L.*, quæ arbor est, crescens in montibus Helveticis, Tridentinis &c. ac seligi debet recens, spissitudinis syrupi, clara, pellucida, coloris albi vel pallidi lutei. Altera vero, quæ apta esse potest parandis unguentis, Emplastris, oleoque Terebinthinæ, & usibus externis, cum viliori pretio habeatur ab aliis *Pinorum* speciebus acquiritur, ut a *Pinu Picea*, & *sylvestri L.* *Pinus Picea* crescit in sylvis celsisque montibus; *Sylvestris* habitat in sylvis glareosis. Hæc TEREBINTHINÆ species densior est, coloratior, ponderosior, & fere semper impurior.

Raro adhibetur interne, licet remedium esse videatur nec in hunc quidem finem penitus

negligendum. Præscribi potest solutum ope vituli ovi aut alicujus mucilaginis vel in pilulis ope alicujus pulveris, a dimidio scrupuli ad dimidium drachmæ usque ad quatuor scrupulos; sub priori forma adhibetur præsertim in clysteribus; aptius vero præscribitur in pilulis ad usus internos, ob saporem aliquibus molestum & ingratum. *Clossius* pro specifico adversus Tæniam præscribit infundi sex drachmas Terebinthinæ cum una aquæ libra, ejusque infusionem sumendam duabus horis antequam lecto ægrotus decumbat. Sæpe quoque externe adhibetur sub formis diversis & maxime commixta vitulo ovi.

TEREBINTHINA in curatione pauperum subrogari commode potest aliis resinis liquidis magis minusve dispendiosis, ut sunt LACHRYMA ABETIS, BALSAMUM PERUVIANUM, BALSAMUM COPAIVÆ &c.

TORMENTILLA OFFICIN. *Tormentilla erecta L.*

Planta perennis, quæ habitat in montibus, locis herbidis, umbrosis. Præscribitur RADIX interne licet rarissime in pulvere a dimidio scrupuli, ad dimidium drachmæ, vel ad unam, & fere nunquam dosi majori, nisi remediis amaris conjuncta; in infusione præscribi posset a dimidio drachmæ ad drachmas tres, nec major dosis aliquando expediret nisi simul cum amaris commixta. Minus raro adhibetur pro usibus externis præsertim in infusione vel leni decoctione pro gargarismis vel fomentis &c.

VALERIANA SYLVESTRIS s. MINOR OFFIC.

Valeriana Officinalis L.

Planta perennis, quæ infra sepes crescit & in nemoribus humidis depressis. RADIX adhibetur interne in substantia in pulvere subministranda vel ipsa sola, aut simul cum aliis remediis sub diversis formis a dimidio scrupuli ad unum & usque ad quatuor bis, ter, quaterque in diem repetenda. Præscribitur quoque in infusione in vasis clausis facienda ab una drachma ad sex. Infusio valde utilis esse posset etiam externe, cum ipsemet expertus sim valerianam sylvestrem præditam esse virtute, ut ajunt antiseptica, præcellentiori quodam gradu, quam gaudeant aliæ plures substantiæ pretii multo majoris. Tam interne quam externe, in pluribus casibus præscripta valeriana simul cum china, remediisque chinæ succedaneis, eorum vim adauget, quemadmodum etiam sæpe plurimum expedit eam conjungere cum aliis diversi generis remediis pro variis circumstantiis.

Ex pluribus observationibus factis a medicis constat hujus remedii adminiculo cum amaris, aromaticis vel opiatis conjuncti pro rei necessitate, ac sæpe ope solius valerianæ etiam innumerabiles febres intermittentes devictas fuisse. Etiam cl. Doctor *Majocchi* mihi retulit plures observationes, febres nempe intermittentes brevi ac feliciter ope tantum hujus œconomici remedii edomitas. Illud certum est, remedium esse generatim pro omnibus multum excellens, in eoque præsertim magnum subsidium atque levamen pauperes invenire.

Nonnulla tamen adnotare juvat accurate observanda, ut hoc remedii genus parere queat bonos effectus, quos parere natum est. Primum colligi valeriana debet prope finem mensis martii, seu ante productionem caulis sui. 2. ex locis siccis, & elevatis, seu in montibus. 3. Custodienda est in vasis rite clausis & in loco sicco & frigido; 4. quæ adhiberi debet in pulvere, recenter, quoad fieri potest, in pulverem est conterenda. 5 demum rejicienda est crassior, minus pilosa, magis lignea, fragilis, & cinereo-castanei coloris.

Observationem hic præterire nolo circa radicem *valerianæ officinalis*, & eam, quæ *Celtica* dicitur, quæ observatio in eo sita est, quod ad plures annos permaneant absque teredine, & absque jactura aromaticæ earum substantiæ, immo cum hujus incremento. Quod expertus sum, etiamsi istæ duæ valerianæ species satis diligenter custoditæ non essent. Verum equidem est, quod ad fragrantiam attinet, etiam in aliis vegetabilibus idem observari, in quibus fragrantia augetur cum senectute, ut in radice *iridis florentinæ*, quæ cum recens est, parum odoris effundit, multum vero, cum senescit. Sed illud tamen observatur, in hoc vegetabilium genere, quod licet odorem in senectute retineant, teredini tamen subjaceant, & quidem citius quam alia vegetabilia. Quare conservatio aromaticæ substantiæ cum ejus integritate conjuncta proprietas est peculiaris duarum valerianæ specierum, quam proprietatem in causa esse suspicor, cur istæ valerianæ eam vim, quam in ipsis deprehendi, contineant omne pannorum genus a teredine defendendi.

Cum proprietates & vis radicis valerianæ sylvestris multum congruant cum proprietatibus, & efficacia SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ, ut vel ipsi celebriores practici testantur, hinc proposito scopo inhaerens de serpentaria in hoc opusculo dicere prætermisi, cum habeat medicus in valeriana remedium serpentariæ satis æquivalens. Qua in opinione magis confirmatus sum, cum observatione deprehenderim, perveniri adæquate posse ad ipsam serpentariam imitandam, si valerianæ in substantia vel in infusione exhibendæ aliqua portio CAMPHORÆ addatur. Hoc enim ipso obtinetur artificialis quædam serpentaria ejusdem virtutis, & longe minoris expensæ.

VERBASCUM OFFICIN. *Verbascum Thapsus L.* Tasso Barbasso LONGOBARD.

Planta biennis, quæ habitat apud nos in ruderatis & locis sabulosis. FLORES præscribuntur in infusione ad instar Thee ab una ad drachmas tres, pro singulis libris infusi circiter, quæ infusio gratior efficitur, si addatur aliquid mellis, vel lactis, vel infusi liquiritiæ, vel oximellis simplicis pro diversitate gustus, aliisque circumstantiis.

Flores hujusmodi maxime in curatione pauperum vices explent sæpe nimis calentis & exæstuantis consueti & vulgaris, ut ajunt, THEE vere chinensis, licet improprie Hollandicum appelletur. Quod quidem remedium recensere volui pro pauperibus, cum æquum sit etiam pro ipsis aliquod levis sumptus jucundum remedium retinere, eosque sublevare, cum possumus a mo-

lestia ac tædio, quod sæpe iisdem affert infusio sambuci vel alterius similis generis.

VINUM ALBUM & RUBRUM.

Usu non infrequenti receptum est a malis hominibus turpis lucri causa vina dolose corrumpi mixtione extranearum substantiarum, & quod magis noxium est, mixtione CALCIS PLUMBI, aut sæpius ejus *acetitis*, quarum rerum mixtionibus grata quædam dulcedo vinis comparatur. Quare maxima diligentia in vinorum emptione adhibenda est, ne vinorum usus saluti noceat. Hinc operæ pretium puto, signa indicare, quibus vinorum corruptio dignosci possit, quæ maxime a plumbo promanat, cum magis, ut dixi, cæteris noxia sit. Inter omnia, quæ proponi solent, tutissimum esse arbitror, quod suggerit clar. *Fourcroy*. Hoc autem est hujusmodi. Sumitur aqua saturata *gas hydrogeno sulphurato*, aut GAS HEPATICO. Infunditur deinceps hujus liquoris portio in vino, de quo suspicio habetur. Hoc ubi contineat qualemcumque plumbi portionem, in quocumque acido solutum, valde nigri coloris efficitur; ubi vero nihil plumbi aut alterius metalli contineat, nullam patitur mutationem. Quod quidem experimentum adeo tutum est, ut vel minima plumbi portio per ipsum evidentissime deprehendatur. Sed illud curandum est, ut aqua, qua utimur ad probationem, eo momento paretur, quo ipsa utendum est, cum illa nimis facile & cito mutetur. Hoc autem criterium cum illo congruit, quod proponit clar. *Hahnemann*; cum istius criterium propo-

situm scopum non obtineat, nisi quatenus complectitur ipsum criterium, quod vel ipse *Fourcroy* commendat. Ego vero *Fourcroy* criterium præferendum esse judico, utpote longe simplicius atque expeditius.

Quod si alicubi difficilis vel incommoda evaderet recensiti liquoris præparatio, in eumdem finem opportune adhiberetur solutio HEPATIS SULPHURIS in aqua facta, exhiberet pro signo corruptionis præcipitatum obscuri coloris. Verum hæc solutio recens sit oportet, diluique vinum expedit, cujus experimentum capere volumus, præsertim ubi vinum valde coloratum sit. Alterum quoque experimentum fieri potest multo simplicius atque facilius, quod vel *Martius* adoptat, ac videtur præferre criterio *Hahnemann*. Vinum quod plumbi vitio infectum sit, continuo lacteum se prodit, si ei misceatur ACIDUM VITRIOLICUM, atque dimittit metallicum sedimentum; quod non contingit, si vinum sit innoxium.

Omnes præparationes ex plumbo, quæ corpori humano inferuntur, præsertim deglutitione, vim præcipuam exercent, ut faciunt etiam præparata ex cupro, speciatim in stomachum & intestina; hinc colicas pertinaces pariunt, spasmos, convulsiones, quas vomitus, magnique alvi fluxus comitantur. De malis effectibus, qui oriuntur ex plumbo, plures habentur simul collectae observationes maximi ponderis non solum in eo, cujus memini, opusculo *Fothergill*, sed etiam in altero *Percival*, qui titulum habet ON THE POISON OF LEAD.

His malis, ac sæpe terribilibus effectibus,

qui ab usu alicujus præparati plumbei originem habent, occurri potest statim ab haustu pel paulo post, ope emeticorum, aut purgantium salinorum multum aquosorum, sed generatim postea occurritur per opiata, per usum aluminis in exigua dosi, per satis amplos lactis aut seri lactis potus, aut emulsionum, aut demulcentium decoctionum, per clysteres oleosos, aut fluidorum, qui mucilagine abundent, per fomentationes emollientes abdominis &c., quæ quidem remedia convenire etiam possunt in malis curandis, quæ oriuntur ex CUPRO.

VITRIOLUM ALBUM s. ZINCUM OFFICIN. Coppa rosa bianca ut vulgo dicitur. *Sulphas Zinci.*

Hoc cum purissimum est, massas candidas exhibet, et aëri expositum fere nihil mutatur. Rejicitur illud, quod subrubeum colorem ostendit, nec omnino solvitur in aqua frigida; cum in solutione carbonas ammoniacalis aut melius ipsa ammoniaca pura eidem communicat amœnum quemdam cœruleum colorem; vel cum infusio gallæ aut alterius adstringentis solutionem efficit nigri coloris. Ubi reperiatur impurum, depurgari potest hoc modo. Ebullitioni exponantur duæ aquæ libræ, cum una libra vitrioli Zinci, quod depurgandum sit, donec solutio habeatur. Habitæ solutioni adjungantur sex drachmæ Zinci rasi & digerantur per sex horas calide. Quo facto liquor a subsidentia separatus, & ad cuticulam evaporatus, in loco frigido ad crystallisandum collocetur, crystallique sic natæ siccatæ serventur.

Hoc remedium, quod diu antea viguerat pro internis usibus, ætate nostra in desuetudinem abierat, sed iterum revixit, & maxime comendatur in *Commentariis Medicis Edinburgi* ejus continuatus usus in diarrhœis chronicis & in epilepsia; datur vero ab uno ad duo, vel tria grana, & repetitur his dosibus bis, vel ter in diem nec ultra nisi admodum raro, in pulvere vel mixto solum cum pulvere liquiritiæ aut magnesiæ, vel cum aliis remediis conjuncto. Pro emetico adhibitum fuit, cum promptus & celer exigeretur effectus, in dosi ad summum viginti quinque granorum. Cæterum semper adhibendum est summa circumspectione, nec videtur emeticum esse, quod in usum deducendum sit. Communior est & receptior ejus usus externus præsertim soluti & adhibiti maxime adinstar collyrii, sub qua forma etiam clar. *Richter* illud magnis encomiis extollit. Laudatum est etiam adhibitum in collutorio in anginis serosis, & in aphtis a clar. *Herz*, *Armstrong*, *Plenk*, *Selle* aliisque. Formula est vitrioli albi dimidium drachmæ solutum in sex unciis aquæ cum additione unciæ unius mellis.

VITRIOLUM COERULEUM, s. DE CUPRO s. CUPRI. *Sulphas Cupri.*

Hoc quoque vitriolum hisce temporibus in curatione morborum internorum apud majorem Medicorum partem exoluit. Illud est certum, adhibendum non fore nisi maxima cautione speciatim in dosibus præscribendis, cum & ipsum non secus ac alia cuprea producat vomitum,

convulsiones, deliria, stupiditatem, dolorem capitis & interdum summum maniæ gradum cum symptomatibus inflammationis cerebri, aut ejus membranarum, & ubi magna sit sumpti cupri copia, parit violentos dolores, inflammationem & corrosionem stomachi, aut intestinorum, & aliquando etiam interitum. Præscriptum fuit adversus vermes, epilepsiam, maniam &c. Ubi utendum hoc esset, non deberet præscribi nisi a duobus granis ad decem, nec sumi nisi divisim non una, sed pluribus vicibus. Nec pro morbis quidem externis admodum frequens est usus. Attamen adhiberi potest in pulvere & solutum. Per modum collyrii libentius chirurgi utuntur vitriolo Zinci. Cæterum vitriolum cœruleum præparationi CUPRI AMMONIACALIS inservit, atque hac de causa in hac pharmacopæa huic etiam vitriolo locum tribuere volui, cum prædictæ præparationi neceſſarium sit. Aliter ab eo abstinuissem, cum materia medica eo carere posset, & ex altera parte scopus, ut monui, meus abhorreat a remediis multiplicandis, quæ inter se proprietatibus & efficacia conveniunt, ubi agatur de exoticis in pauperum curatione.

VITRIOLUM VIRIDE, s. VULGARE s. MARTIS. *Sulphas ferri.*

Seligendum est vitriolum, quod coloris sit viridis clari, diaphanum, siccius, minusque refertum maculis albis, & quod præcipuum est, solutum in aqua, si eidem mergatur perpolita lamina ferri, omnino liberam relinquit hujus laminæ superficiem a particulis cupreis, quæ par-

ticulæ se non produnt, ne confricata quidem madefacta lamina ope vitrioli solidi; ac rursus solutio ab instillato salis ammoniaci spiritu turbatur quidem, sed ab hoc spiritu largius infuso cœruleum non acquirit colorem. Per hæc signa dignoscitur, si quæ insit vitriolo impuritas cupri.

Hoc vitriolo uti possumus in conficiendo ATRAMENTO, tum in curationibus externis, eoque utuntur aliquando chirurgi tam soluto, quam in pulvere. Cæterum vitriolum martis non raro contingit, optimum esse remedium etiam pro morbis internis. Sed cum vitriolum, quod comparatur commercio, frequenter contineat impuritatem cupri, quæ vomitus aliaque periculosa symptomata producere solet, hinc consultius judicant practici, confugiendum esse pro morbis internis ad vitriolum arte factum, ut prædicta pericula caveantur. Verumtamen cum etiam vitriolum, quod commercio prostat, liberari facile possit ab impuritatibus cupri, quibus infectum sit, ac ita æquiparari vitriolo artefacto, operæ pretium puto indicare processum, quo hæc depurgatio fiat, cujus ope vitriolum commercii habeatur certissime liberum ab impuritatibus ac ita ex æquo quam vitriolum artefactum curationibus inserviat. Processus autem hic est.

Ebullitioni exponitur vitriolum commercii in aheno ferreo, cui portio quædam limaturæ ferri addatur, in ea, quæ sufficiat aquæ copia, ac tamdiu ebulliat, donec culter seu aliud politum ferrum in lixivio vitrioli calens immissum minime obliniatur particulis cupri. Lixivium autem filtratur, postea inspissatur & crystallisatur,

crystallique collectæ exsiccantur, & exsiccatæ servantur.

Hoc vitriolum præscribi potest interne in pulvere simpliciter cum saccharo, vel pulvere liquiritiæ; vel cum aliis remediis commiscendum, & sub diversis formis redigendum, aut solutum aliquo apto vehiculo temperandum cum saccharo vel melle; vel addendum alicui mixturæ. Pro pueris dosis est duorum granorum ad sex, & pro adultis a quatuor granis ad scrupulum unum. Hoc remedium ingreditur in mixturam *Grifizii*, quæ commendatur maxime in diabete, ac sequenti ratione componitur. Sumitur extracti myrrhæ aquosi drachma una; teritur in mortario marmoreo cum aquæ menthæ unciis sex, adduntur aquæ cinnamoni vinosæ drachmæ sex; salis absynthii drachma una, vitrioli martis grana duodecim, syrupi simplicis quantitas sufficiens ad gratiam conciliandam, cujus mixturæ sumenda ter in diem quarta pars.

Sed ubi contingeret hanc formulam adhiberi, pro instituti nostri ratione in hac conflanda Pharmacopæa, quædam essent observanda; siquidem in hac formula præscribitur extractum myrrhæ aquosum, cujus a nobis peculiaris mentio, ubi de extractis sermo erit, non fiet, cum medicinam nostram eodem carere posse arbitremur. Cæterum cum de tinctura myrrhæ spirituosa dicemus, monebimus post ejus præparationem commode sine dispendio parari posse etiam extractum, ac ideo etiam pauperum medicinam, quantum satis est ad recensitum scopum, haberi posse. Similiter quod spectat ad aquam cinnamomi, hujus defectus suppleri potest per æqua-

lem dosin aquæ menthæ piperitidis vel tertia parte minorem, addita ejus loco æquali copia spiritus vini, aut loco aquæ menthæ piperitidis addito syrupo corticis citri, qui tum vices etiam explebit syrupi simplicis. Demum de sale absynthio, quod in hac formula adhibetur, generatim monendum est, ut adhibeatur tartarum vitriolatum, non autem sal absynthii alcalinum, cum hujus usu dissolveretur vitriolum martis, atque hinc mixtura mutaretur, & minoris virtutis evaderet. Cæterum etiamsi tartarum vitriolatum omitteretur, meo quidem judicio exposita formula nihil caperet detrimenti. Immo de tartaro vitriolato in eo loco, quem occupare posset, dicere prætermittam, tenax propositi mei, cum credam medicinam nostram sine pauperum damno absque eodem consistere posse. Si quis vero hoc ipsum in formula prædicta adhibere vellet, habere commode posset in præparatione acidi nitri & magnesiæ, in qua tartarum vitriolatum educitur.

Huc revocare pro internis vitrioli usibus non inutile esse arbitror, quod animadvertit cl. *Gmelin* in egregio suo opere ac valde perutili recentissime in lucem edito, cui titulus est: APPARATUS MEDICAMINUM TAM SIMPLICIUM, QUAM PRÆPARATORUM ET COMPOSITORUM IN PRAXEOS ADJUMENTUM CONSIDERATUS PAR. II. REGNUM MINERALE VOL. I. PAG. 142., ubi in rem nostram scribit, id commune esse huic medicamini cum aliis ex ferro paratis, quod alvus inde nigra secedat, eamque cautelam requirere, si plenam suam efficaciam edere debeat, ne in ventriculo

aut terram, aut sal lixiviosæ indolis offendat; quo quippe ferrum ex acido calcis forma præcipitaretur, neque ideo exhibendum esse una cum terreis medicamentis, præsertim calcareis; ideoque multo minus cum alcalinis.

Postremo cl. *Benjamin Rush* medicus Anglicus testatur, tantam esse hujus salis vim anthelminticam, ut ejus ope se ejecisse dicat vel ipsam tæniam. Pro infantibus unius ad decem annos usum hujus remedii præscribit mane singulis diebus in dosi quinque granorum usque ad triginta; & pro adultis a duabus drachmis usque ad unciæ dimidium. Ego tamen censerem, doses hujusmodi temperandas esse.

ULMUS OFFICIN. *Ulmus Campestris L.*

Arbor notissima, quæ apud nos crescit in solo fertili & humido. Præscribitur CORTEX INTERMEDIUS RAMORUM GRACILIUM, non tamen tenellorum, in levi decoctione ex recenti cortice, quæ semper utilior est, ab unciæ dimidio ad duas, ex cortice sicco a duabus drachmis ad unciam unam; decoctio adhibetur etiam externe, sed sæpius interne. Doctor Anglicus *Collingwood* in quodam opusculo suo testatum facit, se duodecim annorum praxi diuturna sæpissime expertum esse hujus corticis vim & efficaciam. Hanc ipse deprehendit exitu sane felici in multis morbis cutaneis, viditque hujus remedii ope non paucas curationes solidas, & permanentes perfectas fuisse, ac vel ipsis pertinacibus morbis, qui alio modo curari non poterant, non exiguum levamen allatum esse. Asserit demum, se bono

successu usum esse hoc remedio in diarrhœis, dissenteriis, & in omnibus intestinorum excoriationibus tam in pueris, quam in puerperis & in alio infirmorum genere.

Z.

ZINCUM.

Juxta FOVRCROY metallum semiductile, oxydabile. Cum contingat illud plumbo misceri, præferendum est Zincum ex India orientali, utpote optimum, & rejiciendum Goslariense. Eo non utimur nisi pro præparatione FLORUM ZINCI.

ZINZIBER, s. ZINGIBER OFFICIN. *Amomum Zingiber L.*

Planta perennis, quæ in Indiis crescit, & colitur in quibusdam Americæ regionibus. Præscribitur RADIX, ejusque vis tota residet in æthereo oleo, quo referta est. Hæc sit oportet ponderosa, minus fibrosa, non cariosa, & saporis valde acris, aromatici. Adhibetur, licet raro, interne in pulvere a quatuor granis ad octodecim; & in infuso ab uno scrupulo ad drachmas duas, sub qua postrema forma adhibitur etiam pro gargarismo, licet rarissime. Creditur hanc additam purgantibus in exigua dosi vim stimulantem augere. Interdum prodesse posset hujusmodi additio. Adhiberi quoque posset terenda dentibus ad excitandam salivam sive instar SIALAGOGI. Cum hoc remedio uti medici voluere pro morbis internis, sæpe coacti

sunt, illud cum alio ingrediente temperare, quo compesci posset nimius ipsius fervor seu æstus. Communius ingrediebatur tanquam pars alicujus compositi.

Cum vero Zinziber virtute congruat cum PIPERE eo solum discrimine, quod ille sit mitior isto, Zinziber supplere potest loco piperis, ut etiam loco aliorum aromatum ejusdem indolis, ut sunt GALANGA, ZEDOARIA, PYRETHRUM &c. id quod in re nostra conducit non solum ad minuendam remediorum farraginem, sed etiam ad unum iis substituendum levioris pretii, quam sit piper, aliaque, quæ recensuimus aromata; atque hac ipsa de causa in brutorum epizoozia proderit loco piperis usus Zingiberis.

PARS SECUNDA

DE

PRAEPARATIS ET COMPOSITIS,

QUÆ DIU IN OFFICINIS SERVANTUR.

ACETUM SATURNINUM. *Acetis plumbi dilutus.*

Rec. Cerussae pulverat. libram.
Aceti vini optimi libras quatuor.

Coquatur in vase figulino seu vitreo angustioris colli, leni calore, sæpiusque bacillo ligneo agitetur, usque ad aceti perfectam saturationem, quæ passim absolvitur per dimidiæ partis consumptionem. Filtretur deinceps acetum per chartam, & usui servetur.

Substantia vero, quæ manet post primam dissolutionem, solvi iterum potest usque ad plenam illius consumtionem.

Hoc acetum explere vices potest EXTRACTI & SALIS vel SACCHARI SATURNI, si loco extracti duplum aceti adhibeatur, & loco salis quidpiam majus duplo.

Non præscribitur nisi pro usibus externis; rarissime ipsum solum adhibetur, sed passim aqua dilutum, ex quo constituitur AQUA VEGETO-MINERALIS & interdum mixtum & agitatum cum oleo ea quantitate, quæ ad consisten-

tiam unguenti efformandam sufficiat; ex qua operatione resultat BALSAMUM, ut dicitur SATURNI, quod ab aliis nuncupatur UNGUENTUM NUTRITUM.

ACETUM SCILLITICUM s. SQUILLITICUM.

Rec. Scillæ recenter exsiccatæ & minute incisæ uncias sex.

Aceti optimi uncias nonaginta.

Macerentur in lagena vitrea per quindecim dies, & liquor sæpius agitetur, ac deinde forti expressione acetum coletur. Quiescat postea acetum, donec purum & clarum fiat, & tum separetur a fæcibus per decantationem, eidem addita uncia una spiritus vini pro singulis libris percolati liquoris & servetur.

Hoc aceti genus interne non solet passim præscribi nisi sub forma OXIMELLIS; aut saturatum spiritu salis ammoniaci, aut sale tartari alcalino. Ac sub his formis saturationis constituitur sal neutrum solutum pro differentia basis diversum, scilicet vel *acetis ammoniacalis*, vel *acetis potassae*. Quæ duo salia cum in se ipsis habeant etiam activa scillæ principia, si diluantur aliqua corroboranti decoctione aut alio vehiculo & aliquo syrupo vel melle temperentur, bonos effectus, ubi pro rei natura conveniant, producere possunt. Acetum externe adhibetur non raro loco communis aceti pro conficiendis synapismis, cum istorum actio promtior & efficacior postulatur.

ACIDUM NITRI VULGARE s. AQUA FORTIS COMMUNIS. *Acidum nitricum.*

Rec. Nitri puri exsiccati.
Vitrioli martis ad albedinem calcinati ana libras duas.

Hæc bene mixta immittantur ope infundibuli oblongi colli in retortam vitream: Retorta deinde locetur in furno arenæ; applicetur ingens receptaculum perforatum, in quod prius immissæ fuerint duo libræ aquæ destillatæ, & junctura occludatur luto pingui ex argilla & oleo lini cocti facto, quod linteo calcis vivæ in aëre in pulverem delapsæ & albuminis ovi miscella obducto, firmetur; tum subjiciatur ignis moderatus, sensim augendus, donec vapores prodire cessent: refrigerato apparatu, acidum nitri transfundatur e receptaculo in lagenam epistomio vitreo claudendam. Juvabit dum copiosi vapores in receptaculum transeunt, huic aptare panna linea madefacta aqua frigida, atque hæc ipsa, repetita madefactione, renovare. Sic etiam expediet basim obturamenti vasis, in quo acidum concluditur, accurate circumdare ope ceræ emollitæ exigua portione Therebinthinæ.

Destillationis residuum igne aperto calcinetur; postea affusione copiosæ aquæ ebullientis, quantum opus est, repetita extrahatur omnis salsedo. Solutiones confusæ quiescant, ut portio terræ metallicæ solutæ subsideat. Tum liquor, inclinatione vasis in aliud vas transfugus evaporetur ad cuticulam fere, cui adhuc tepido sensim affundatur solutio salis tartari alcalini aqua

parata, donec cessaverit effervescentia & sibilus. Tunc addita aquæ calidæ quarta, vel quinta parte, liquor iterum refrigerationi & subsidentiæ committatur, filtretur, evaporetur, & ad crystallisationem in loco frigido reponatur. Hac ratione obtinetur ARCANUM DUPLICATUM, non diversum a SALE POLYCHRESTO, a SALE DE DUOBUS, & a TARTARO VITRIOLATO, cum hæc omnia salia neutra diversa non sint a *sulfate potassae.*

Licet ACIDUM NITRICUM communius non adhibeatur nisi ad præparationem LAPIDIS INFERNALIS, facto prius experimento de ipsius puritate, cum in hunc usum acidum valde purum requiratur, ne alioquin de ARGENTO depereat; attamen Cl. *Hahnemann* nuper observavit acidum nitricum interne adhibitum ad instar acidi vitriolici proficuum esse. Porro proficuum hujus acidi usum fuisse interne præscriptum in dosi alicujus scrupuli & aqua dilutum deprehenderunt in curatione luis venereæ Clarissimi *Duncan* & *Rossi* Taurinensis Chirurgus. Hanc ipsam utilitatem in eodem morbo curando agnovit etiam Cl. *Ingenhousz.* Jam nunc post plura experimenta omnes in asserendo conveniunt præcipuos hujus morbi effectus per hoc remedii genus auferri. Recentissime etiam novimus Doct. *Scott* optimo sane exitu non interne solum, sed externe quoque pro iisdem morbis adhibuisse.

Utinam res per ulteriora experimenta ad certitudinem hujus remedii in dictis morbis progrederetur. Nam maxima utilitas cum simplicitate remedii conjuncta, in hominum subsidium exurgeret, sublatis præterea iis incommodis, qui-

bus non raro subjacent cætera remedia adhiberi solita.

Hoc interdum commixtum invenitur ACIDO MURIATICO vel ACIDO VITRIOLICO. Cum utroque modo impurum est, lactescens efficitur atque a se ipso dimittit præcipitatum, ubi affundantur acido nitrico aliquæ guttæ solutionis sine calore factæ *nitratis mercurii;* quod quidem præcipitatum si album permaneat, licet ablutum aqua ebullienti, satis indicat impuritatem pendere ab acido muriatico, si vero colorem flavum acquirat per ablutionem aquæ ebullientis, prodit ejus impuritatem ex acido vitriolico promanare. Ubi autem per supradictam mixtionem non perturbetur acidum, nec a se præcipitatum dimittat, signum est evidens acidum nitricum esse purum.

Recensitum experimentum pro acidi nitrici puritate dignoscenda unicuique obvium est & facile factu. Eadem facilitate acidum nitricum ab utroque acido, quo infectum sit, liberari potest: si nempe ejusdem solutionis mercurii nitrati tot guttæ acido depurgando infundantur, quot requiruntur, ut desinat quodcumque præcipitatum; liquor deinceps iterum destilletur fere usque ad siccitatem. Quod si ageretur de acido nitrico depurgando ab acido vitriolico, tum sufficeret etiam acidi impuri destillatio cum parva portione *nitratis potassae*, quod tamen esse debet valde purum.

Pro hac destillatione facienda apparatum *Wolfianum*, qui certe esset optimus, minime proposui, cum difficile admodum sit, eum apud omnes pharmacopolas reperiri.

ACIDUM THEREBINTHINÆ. Vid. OLEUM THEREBINTHINÆ.

ACIDUM, seu OLEUM VITRIOLI CONCENTRATUM ac RECTIFICATUM. *Acidum sulphuricum concentratum.*

Rec. Acidi vitrioli fortis, quod invenitur in commercio, quantum vis.

Immittatur retortæ vitreæ & destilletur igne gradatim aucto, donec non ulterius in vaporum forma, sed in striis cohærentibus in vas recipiens defluere incipiat. Tunc mutato recipiente destillatio continuetur, ac tandem is gradus ignis, cum cautione tamen, augeatur, ut reliquum acidi ascendere possit, quod in vitro sicco, aëris accessu probe intercluso ope epistomii vitrei, ad usum servetur pro solis chimicis præparatis ob summam, qua pollet, acrimoniam.

Liquor, qui in priori recipiente destillatur, cum nihil aliud sit nisi acidum sulphuricum paulisper dilutum, in alios usus deduci potest loco alterius acidi sulphurici. Sciendum est tamen gradum acoris supradicti acidi esse mutabilem.

Si olei vitrioli rectificandi quantitas major sit una libra, tunc vel plures retortulæ simul adhibentur, vel quod securius est, illa acidi vitriolici quantitas successive & per vices rectificatur.

Absolute abstinendum non est a rectificatione & concentratione acidi vitriolici promercalis ope continuatæ destillationis facienda, ut illud etiam a partibus heterogeneis fixis, quas non

raro in se ipso continet, liberari possit, præsertim postquam demonstraverunt clarissimi Viri *Meyr* & *Gunther*, sæpe illud infectum inveniri VITRIOLO PLUMBI, quod in medicina periculum afferret. Utrum vero hoc acidum aliquid PLUMBI contineat, deprehendi facile potest, si conjuncto hoc acido partibus aquæ vel æqualibus vel majoribus conspiciatur emitti album præcipitatum, quo non conspecto signum esse potest plumbum in acido non contineri. Dixi *esse posse*, cum aliquando contingat præcipitatum, quod in dicto experimento obtinetur, esse etiam *sulphatem calcis* cum aliqua portione TERRÆ SILICEÆ, ut demonstravit doctor *Withering* & ipsemet expertus sum.

Cæterum ut optimum & purissimum sit hoc acidum, esse debet ad instar aquæ pellucidum, non fumans ad contactum aëris, aquæ communi guttatim infusum sibilans, uti metallum candens sub vehementissima incalescentia, subito comburens corpora inflammabilia ad carbonem, tam e regno vegetabili quam animali, subitoque expellens ad instar vaporis acida tam vegetabilia quam mineralia, uti acida aceti, nitri, muriatici &c. ex eorum compositis, specificam gravitatem habens 1. 800 ad 2, 000. Hi sunt caracteres acidi optimi & purissimi. Hinc rejiciatur quod fusci coloris est, valde fumans, & odoris acris sulphurei. Hoc acidi genus, ut in usum deduci possit, rectificari debet ut supra.

Si iteratis vicibus & pedetentim interjectis variis temporis spatiis portio acidi supradicti affundatur æquali alcoholis quantitati, obtinetur ELIXIR ACIDUM, ut dicitur *Halleri*. Ubi vero

acidi una pars cum tribus partibus alcoholis misceatur, comparatur ELIXIR ACIDUM *Dippellii*, quod etiam dicitur *aqua Rhabellii* & ab aliis ACIDUM VITRIOLI DULCIFICATUM, aut ELIXIR VITRIOLI SIMPLEX. Mixtiones istæ solent ab aliquibus practicis cum fiducia adhiberi; quæ tamen toties parari debent, quoties adhibentur, vel saltem iterari frequenter. Ego priori posterius præferrem nimium prioris acorem, quamvis ut sentio utroque carere possit medicina, & meliori successu frequentius adhiberi posset loco utriusque ELIXIR VITRIOLI AROMATICUM.

Quod si unum vel alterum elixir ex prioribus ad usum deducendum sit, cum acorem habeant maxime intensum præsertim ELIXIR *Halleri*, dilui debent larga aquæ copia, nec mixturis addenda sunt, nisi prudenti admodum dosi. Nam si dosis excesserit, vel etiam justa dosis satis diluta non sit, vomitus, dolores aliaque incommoda hæc remedia pariunt, fiuntque intolerabilia, atque vel ipsi palato molestissima; quare cum mixturæ, ut ajunt, sint medicamina ejus indolis, ut passim exhiberi non soleant, nisi dosi minori una libra, & aliunde exigua copia ex dictis elixiriis acorem valeat iis impertiri valde molestum & intolerabilem, hinc necessarium est valde exiguam elixirium copiam præscribere, vel consultius puto præscripta elixiria copiosa aquæ ut sæpius fit vel alterius vehiculi quantitate diluere, ac ita diluta frequenter in diem ægro exhibere. Hinc non semel observavi coactos fuisse pharmacopolas præscriptam ab aliquibus practicis elixirium dosim copiosiore vehiculo tem-

perare, ut remedium ferre posset ægrotus & pericula vitarentur, quibus ægrotus fuisset expositus defectu copiosæ dilutionis. Fit autem potio valde grata, si eidem addatur aliquid mellis, vel melius sacchari, vel potius pro ægrorum gustu aliquid syrupi corticis citri &c.

Animadvertere quoque medici debent variam stomachorum constitutionem; nam ut rite monet cl. *Gmelin* in apparatu medicaminum &c. T. 1. p. 11. p. 41. quamvis vini spiritu temperatum sit elixir, non omnium ægrorum ventriculum ferre hoc acidum, quod interdum vomitum, & cardialgiam ciet, quibus sese manifestantibus effectibus desistere medicus ab ulteriori usu debet.

ACIDUM VITRIOLI TENUE, vel SPIRITUS VITRIOLI ACIDUS. *Acidum sulphuricum dilutum.*

Acidum vitrioli rectificatum & concentratum cum sex aquæ destillatæ simplicis partibus caute diluitur & servatur ad medicos usus.

Interne præscribitur mixturis addendum a decem guttis ad dimidium circiter drachmæ; aqua vero dilutum vel alio vehiculo usque ad gratum acorem præbetur a dicta dosi ad drachmas quatuor; quod sæpe ad compescendum acorem temperatur eo modo, quo diximus temperari prædicta elixiria. Si aqua copiosa dilutum sit, ab aliquibus dicitur POTIO ANTISEPTICA aut POTUS ACIDO-MINERALIS, & ab aliis LIMONEA MINERALIS, quæ cum opus est temperatur cum melle. Pro duabus aquæ libris non plus exigitur unius drachmæ hujus acidi.

Gratior efficitur potio, si fiat ex uno vel altero dictorum ELIXIRIUM.

Hoc acidi genus caute adhibendum est, licet dilutum sit, cum ex eo incommoda manare possint, quæ diximus supra circa elixiria.

Etiam externe aliquando adhiberi contingit in fomento vel collutorio dilutum s. q. aquæ vel alterius vehiculi. Ope gossipii madefacti hoc acido tanguntur ulcuscula, in infantibus autem liniuntur penicillo, edulcato prius acido portione mellis.

Curare medici debent, cum hoc acidi genus præscribunt præsertim interne, ut hoc indicent addito verbo TENUE, aut alio simili vocabulo ad æquivocationes tollendas, quæ aliquando contigerunt ob hanc omissionem, ad usum deducto acido concentrato pro acido tenui non sine gravi ægroti periculo. *Pelettier* hominem Parisiis, qui per errorem portionem hujus acidi sumserat, & in vitæ propterea discrimine versabatur, egregie servavit ope magnesiæ calcinatæ. Idem præstitit etiam Ticini clar. Medicus *Borda*, qui in eundem finem adhibuit terram præcipitatam aluminis. Generatim omnes terræ absorbentes, tum alcalia, cum vim habeant neutralisandi acidum haustum, ac nudum, subsidia sunt opportuna in his aliisque similibus casibus; sed eo tutior, & major effectus ab iis obtinebitur, quo remedia ea citius adhibentur. Cæterum in ea sum opinione, quod huic fini opportunius inserviant sales alcalini soluti, ac præsertim soda, quam absorbentes terræ multoque minus omnibus calx, cum sales ejusmodi promtius agant, utpote aptiores ad citissimam unionem cum acidis & horum neutralisationem efficiendam.

AETHER sive NAPHTA VITRIOLI. *Aether sulphuricus.*

Rec. Spiritus vini rectificatissimi libram unam,
Acidi vitrioli rectificati ac concentrati ana partes æquales.

Unitur variis vicibus, variisque intervallis & paulatim acidum spiritui vini in receptaculo vitreo, ea cautione, ut non superaddatur spiritui novum acidum, nisi prius frigefacta mixtione & obturetur os receptaculi in singulis acidi affusionibus. Facta duorum liquidorum mixtio immittatur in retortam vitream satis altam ope infundibili, quod perveniat usque ad fundum colli retortæ, ne collum deturpetur. Ea committatur balneo arenæ; admoveatur receptaculum perforatum, & juncturæ vesica madefacta rite occludantur: instituatur tum destillatio igne sufficienti ad levem liquoris ebullitionem: continuetur idem ignis gradus, admoto sæpe obturamento, quo receptaculi foramen occlusum est, donec vix initium sentiatur suffocantis odoris acidi sulphurei volatilis: tunc afferatur excipulum & in lageinam vitream accurate obturandam effundatur liquor in ipso contentus; addatur aliqua portio MAGNESIÆ CALCINATÆ, & frigide digeratur, donec acidum sulphureum evanuerit, nec quidpiam magnesiæ solutæ supersit. Destilletur deinceps usque ad dimidium circiter mitissimo calore in retorta vitrea. Liquor, qui per hanc rectificationem habetur, est AETHER VITRIOLICUS, qui committendus est parvis purissimis vitris, quorum os epistomio vitreo juxta capacitatem oris accurate expolito claudatur, ejusdemque præ-

terea receptaculi vitrei cum epistomio os coöperiatur vesica madefacta spiritu vini, vel melius in aqua frigida reposita vasa asserventur.

Partibus autem post ætheris rectificationem in retorta superstitis, si destillatio continuetur, exurgit inde LIQUOR ANODINUS MINERALIS HOFFMANNI.

Si prioris destillationis residuo nigricanti addantur sex unciæ spiritus vini rectificatissimi, & uti prima vice factum est, destillentur, alteram dabunt liquoris copiam ei similis, qui in prima destillatione haustus est. Hæc operatio bono cum exitu per decem & amplius vices repeti potest, addita semper spiritus vini sufficienti quantitate. Hinc si explicatis modis liquores rectificentur, iterum obtinebitur tum verus AETHER, tum LIQUOR ANODINUS.

In singulis destillationibus recensitis, & speciatim in rectificationibus habitis, dum incipit liquor in recipiens transire, opus est cum dexteritate recipiens cooperire panno lineo aqua frigida madefacto, idemque sæpius iterare, ut recipiens semper frigidum perseveret. Tempestas pro parandis ætheribus propria, quemadmodum etiam pro alcohole, est hiemalis, ubi vero pro circumstantiis hæc ipsa æstivo tempore paranda sint, præter jam dicta monita, quæ accuratius in hac hypothesi essent observanda, contegi quoque oporteret recipiens nive vel glacie quantum fieri potest, tectumque hoc modo tenere, donec tota operatio absolvatur.

Porro dignoscitur æther vitriolicus recte paratus & genuinus hisce indiciis, quæ sequuntur: Debet esse levissimus, maxime pellucidus, abs-

que ullo vel minimo colore, grate suaveolens, fortis & penetrans tam odore quam sapore suo, qui sapor mox igneus est, dein frigoris sensum in lingua relinquit. Pro una ætheris parte solvenda non plures requiruntur, quam decem aquæ destillatæ portiones; subito flammam concipit in quadam a flamma distantia, seque ipsum comburit flammam emittens albam, magisque lucidam, quam in spiritu vini & quidpiam fuliginis relinquit. Gutta ejus ex alto delapsa subito evolat, antequam ad terram pertingat: aquæ calidæ immissus æther sibilat; non debet emittere odorem acidi sulphurei, nec saporem acidum habere, nec tingere chartam cœruleam colore rubeo. Hisce notis optimus æther se prodit.

Hoc remedium utilissimum est & interne præscribitur a decem, viginti & triginta guttis ad drachmam unam & usque ad tres, additum alicui mixturæ, aut solum adhibitum cum quadam aqua vel infusione aromatica, aut amara, vel etiam simpliciter cum aqua communi, & aliquando cum solo saccharo. Paratur optima potio, si addatur aliqua portio aquæ simplicis, in qua solutum fuerit aliquid mellis, vel sacchari vel syrupi corticis citri &c. *Paulet* hoc remedium plurimum laudat adversus fungorum venenum. Ego vero censeo hoc remedium utile esse, ubi amplius emetico locus non sit, vel post usum emetici. In pluribus aliis casibus utilius adhibetur conjunctum cum aliis remediis, uti sunt laudanum liquidum, liquor cornu cervi succinatus, camphora &c. Pluries etiam juvat illud externe applicari vel solum vel aqua dilutum. Interdum levamen attulit in odontalgia applicatum cario-

sis dentibus ope gossipii. Exhibetur etiam odoratus excitandi causa.

Hic æther vel solus, vel cum alio remedio mixtus ut cum extracto juniperi &c., simul cum aqua cardiaca, sive aromatica vel cum aliquo similis infusionis genere meliori cum fructu adhibetur loco medicamentorum, quæ CORDIALIA dici consueverunt, quæ magni pretii sunt, & olim pretiosa & maxime utilia credebantur.

Massa nigra, quæ post repetitas destillationes superest, nec amplius utilis est ad ætherem ulterius hauriendum, rejicienda non est, sed œconomiæ causa adhiberi potest pro hauriendo, quod in ea residuum est, *acido sulphurico*, licet heterogeneis substantiis commixto; quod obtinetur, si liquor niger affundatur in vas vitreum lati orificii, & deinde diluatur tertia sui ponderis parte aquæ destillatæ, aërique exponatur, donec omnem acidi sulphurei odorem amiserit. Tunc filtratur ope arenæ purissimæ rite ablutæ. Quod si eum volueris concentratum habere, hunc facile obtinebis ope evaporationis vel destillationis. Hoc acidi genus purissimum non est, opportunissime tamen & utilissime conservatur ad præcipitationem obtinendam sulphuris aurati antimonii. Inservire etiam posset ad parandum vitriolum martis &c.

AETHIOPS MINERALIS, seu *sulphuretum Hydrargyri nigrum.*

Rec. Sulphuris citrini unciam unam,
Mercurii purificati unc. duas.

In vase ferreo satis apto leni calore liquefiat sulphur. Deinde mercurius injiciatur antea

aliquantulum calefactus & ope spathulæ ferreæ agitatione perenni per horæ dimidium ad nigram massam spissitudinis mellis redigatur, quæ quidem massa, si crassior evaserit, igni aliquantisper adaucto, ut liquescat, exponatur, & refrigerata in mortario ferreo teratur in pulverem.

Aliquando contingit in recensita operatione facienda massam cum crepitu inflammari. Tum extinguitur flamma, si communicatio intercludatur cum aëre externo. Quod fit, si vas cooperiatur. Adhiberi etiam possunt, ubi opus sit, panna linea madefacta aqua frigida.

Interdum hoc remedium adhibetur externe pro ulceribus sordidis præsertim venereis conspergendis ad ea purificanda. Sed utilius atque communius interne præscribitur. In teneris pueris a tribus ad grana sex, in adultioribus a sex granis ad quindecim; pro ætate majori a dimidio scrupuli ad dimidium drachmæ. In aliquibus casibus expedit hoc conjungi cum china aliisque remediis. Aptius in bolis præscribitur. Subministrari etiam potest in pulvere simul cum saccharo vel magnesia. Pessima præscriptio est, si præscribatur cum mixtura vel aliquo vehiculo. Non semel observavi hoc remedium sub hac forma ab aliquo medico præscriptum ab ægrotis vel non susceptum fuisse, vel non nisi exiguam ejusdem partem, cum ob ingens ipsius pondus vel totum vel maxima pars ad fundum ampullæ subsideret. Quod quidem absurdum facilius oriri solet in xenodochiis, ubi, qui ægrotis inserviunt, vel curarum copia distenti, vel etiam ob socordiam in id attentionem convertere non solent. Cui quidem incommodo eadem de causa hoc ip-

sum subjacere potest etiam in pulvere exhibitum. Quare recte monui, aptissimam hujus remedii formam esse formam bolorum. Quod si in pulvere administrandum sit, opus est uti nubeculis, quibus contegatur. Quæ monita rite observanda esse censeo, cum ab his pendeat expectatus a medico effectus & ægroti levamen; quæ non obtinerentur sine præscriptarum regularum executione, quarum contemtu ægrotus dispendium sine utilitate pateretur, & ipsius cura cum dispendio retardaretur. Quare de hac re paulo latius dicere volui, cum eædem observationes etiam usum respiciant aliorum medicaminum metallicorum, ejusmodi est ex. c. mercurius dulcis, limatura ferri præparata &c., quæ ob suum pondus iisdem incommodis subsunt. Hinc communis usus limaturæ ferri exhibendæ in pulvere aquæ injecto absurdissimus est, & iisdem absurdis obnoxius, ut propterea fortasse ab hac causa repetendum sit, quod expectatus effectus, quem natura sua remedium pareret, si rite exhiberetur, interdum non habeatur, vel saltem retardetur.

Retuli autem in recensita operatione processum via sicca, ut dicitur, cum æthiops, qui fit sine igne sive per simplicem attritum, mercurium non contineat tam recte cum sulphure conjunctum, ut ille continet, qui perficitur ignis adminiculo, qua in opinione etiam clar. *Wallerius* versatur. Creditur etjam æthiopem, qui per simplicem attritum paratur, aptiorem esse promovendæ salivationi.

Si æthiops noster misceatur cum aliqua portione antimonii crudi præparati, parari ex tempore potest compositum æquale AETHIOPI AN-

TIMONIALI, atque hac de causa de hoc præparato dicere prætermitto.

Hic autem æthiops mineralis pro singulis tribus granis duo circiter complectitur mercurii.

ALKALI VEGETABILE FIXUM, seu SAL TARTARI ALCALINUS. *Carbonas potassæ.*

Rec. Tartari crudi quantum vis.

Ponatur in lagena terrea non vitreata, & valido igne calcinetur usque ad albedinem. Ut vero tartarus possit totus ex æquo comburi, cum ejus superficies albescit, identidem debet ejus massa misceri. Lixivium deinde institutum & filtratum per chartam emporeticam evaporetur ad siccitatem perfectam in vase ferreo rite mundato. Massa agitetur spathula ferrea, ne fundo vasis adhærescat. Sal obtentum adhuc calidum collocetur in vasis vitreis rite clausis, ne humidum attrahat vel deliquescat.

Interdum hoc sal adhibetur interne & externe, semper tamen solutum; interne præscribitur a tribus granis ad sex, duodecim usque ad dimidium drachmæ in tribus unciis usque ad unam libram liquoris. Cum ipsum ob indolem suam soleat aëri expositum deliquescere, hinc præscribi nunquam potest sive in pulvere sive in pilulis &c.; idque si fieret, vitium esset adversus præcepta de formulis concinnandis. Quæ regula locum habet in TERRA FOLIATA TARTARI aliisque hujus generis corporibus. Cæterum pro internis usibus non raro commodior & utilior est loco ejusmodi salis usus MAGNESIÆ. Contin-

git tamen quandoque præferri oportere hoc remedium usui magnesiæ, ac tum speciatim id accidit, cum corrigendum sit vel retundendum venenum aliquod haustum vel ab acidis mineralibus corrosivis, vel ab arsenico, vel a sublimato corrosivo &c.

Occurrit aliquando, hujus salis usum præscribi cum succo limoniorum. vid HAUSTUS ANTIEMETICUS. Inservit parando LAPIDI CAUSTICO, TARTARO TARTARISATO, HEPATI SULPHURIS. Ubi ejusmodi sal in minima aquæ quantitate ita solvatur, ut solutio consistentiam quandam oleosam acquirat, liquor oleo sic dicto tartari per deliquium respondet. Quod dum fit illud quoque obtinetur, ut directe & expeditius præparatio habeatur.

Sal tartari alkalinum genuinum semper esse debet coloris jucunde-albi; ejusque pars una in partibus duabus aquæ communis esse plene solubilis, quin aliquod sedimentum relinquat, humescens in aëre, ac magnam promtamque producens effervescentiam simul cum acidis. Hisce notis certiores efficimur in eo non contineri aliquam terram, nec salem digestivum Sylvii, nec tartarum vitriolatum, nec alias substantias, quibus non raro vel natura vel dolo conjunctum invenitur.

Hoc alkali commode & utiliter substitui potest SALIBUS ALKALINIS methodo *Tachenii* paratis, ideoque SALI ABSYNTHII aliisque vegetabilibus; tum quia illud minori pretio obtinetur quam alia, cum eadem prorsus utilitate; tum quia facilius inveniri potest etiam in ruralibus pharmacopoliis; tum denique quia medicus tu-

tior esse potest verum sal alkalinum subministrari (quod multum interest) loco salis neutri, ut est TARTARUM VITRIOLATUM, quod non raro contingit in præscriptione salis absynthii, aut cinerum aliarum herbarum; quo factum est, ut medici expectatio evanesceret, æger vero nullam utilitatem perciperet, cum ea salia parata fuissent ex cineribus herbarum combustarum cum sulphure; quo in casu pharmacopola non hauriebat nisi TARTARUM VITRIOLATUM.

Alkali, quod habetur ex tartaro, satis purum est pro usibus pharmacopolæ; & purius est quolibet alkali ejusdem generis, quod extrahi possit alio modo minoris dispendii. Cæterum ubi maxime agatur de pauperibus, si tartarum maximi esset dispendii, hauriri posset ex COMMUNIBUS CINERIBUS, cum essentialiter ab alkali tartari non differat, nisi quod illud impurius est, & ex altera parte hoc vitium saltem multum sanari possit, si hac ratione purgetur. Diluuntur cineres communes in aqua frigida post calcinationem aliquo tempore peractam. Lixivium filtratur, & evaporatur, donec in ejus superficie levis pellicula se prodat; deinde in loco frigido quieti dimittitur. Postea ope filtrationis a variis salibus neutris in ipso contentis purgatur, quæ salia in crystallos abeunt; uti esset sal digestivum Sylvii, tartarum vitriolatum &c, tum etiam liberatur ab aliis impuritatibus, ut a ferro, a terris quibusdam, aliisque substantiis, quæ solent in filtro relinqui. Lixivium filtratum iterum evaporatur & quieti dimittitur, ut crystallisetur ac deinde filtretur; quæ quidem operatio repetitur, donec non amplius videantur sedimenta, ne-

que crystalli, de quibus antea diximus. Denique lixivium ultimum plene inspissatum, ut de sale tartari dictum est, exhibet purum sal alkalinum vegetabile. Haustum sal ex cineribus appellari consuevit etiam ALKALI LIGNORUM depuratum, & ab aliis CINERES CLAVELLATI; & ubi eo modo, quo diximus, purgatum sit, substitui in curatione pauperum posset sali hausto ex tartaro, & præsertim in præparatione spiritus salis ammoniaci, aliisque operationibus, in quibus non pro usu pauperum tantum, sed etiam pro quovis personarum genere & conditione adhiberi opportune posset.

ALUMEN USTUM. *Sulphas aluminosus exsiccatus.*

Alumen in fictili immitatur vase satis amplo non vitreato, eaque copia, quæ tertiam vasis partem non excedat, & igni valido augeatur, donec omni crystallisationis aqua privetur, & massam opacam, albam, levem, spongiosam, friabilem exhibeat. Continuo removeatur ab igne, ne per hujus actionem acidum etiam diffletur.

Non adhibetur nisi ad usus externos in pulvere, & communius ipsum solum adhibetur.

ANTIMONIUM CRUDUM PRÆPARATUM, seu ALCOHOLISATUM. *Sulphuretum stibii præparatum.*

Antimonium crudum in subtilem pulverem versum committatur vitreo cylindro, eique affundatur larga aquæ copia; agitetur strenue, &

simul aqua turbida reddita fuerit, cum tenuissimo pulvere saturata sit, tum decantetur ac quieti dimittatur, ut ab ipsa pulvis, quo turbida reddita fuerit, separetur. Superstes autem materia, quam aqua in priori operatione sustinere non potuit, iterum conteratur in subtilem pulverem, eodemque modo tractetur, idque toties repetatur, quoties opus est, ut omnis materia alcoholisata exhauriatur. Pulvere omni alcoholisato, exhausto, & subsidente, aqua decantetur & antimonium in fundo vasis remanens exsiccetur, & usui servetur.

Ad usus internos præscribitur a quinque granis ad scrupulum unum & etiam ad drachmam unam in pulvere simul cum saccharo aut alia re, vel in pilulis. Ubi in pulvere præscribatur, ea omnia observanda sunt, quæ diximus, ubi de usu æthiopis. Ut periculum vomitus arceatur, quem aliquando excitare solet, præsertim ubi indicia habeantur aciditatis in primis viis, expedit illud adhiberi cum magnesia, & melius etiam additis substantiis aromaticis. Abstinendum est etiam, cum hoc remedium sumitur, ab usu substantiarum acidarum sive pro alimentis sive pro medicamine. Si cum magnesia & materia corroborante conjungatur, apud aliquos nomen acquirit hæc mixtio PULVERIS ANTIMONIALIS & apud alios nomen PULVERIS PURIFICANTIS.

AQUA COMMUNIS DESTILLATA.

Sumantur aquæ communis libræ octoginta & destillentur primum libræ circiter quatuor, quibus abjectis destillentur libræ triginta sex circi-

ter, quæ vasis vitreis obturatis serventur ad sol-vendum sublimatum corrosivum, tartarum emeticum, vitriola, hepatem sulphuris, ad diluendum acetum saturni &c.

AQUA BACCARUM JUNIPERI.

Rec. Baccarum Juniperi maturarum recentium & contusarum libras tres,
Aquæ communis libras triginta sex & abstrahe libras duodecim circiter.

AQUA MENTHÆ CRISPÆ.

Rec. Herbæ menthæ crispæ recentis libram unam.
Aquæ communis partes octo seu quoad opus est ad evitandum empyreuma, & inde abstrahe libras quatuor circiter.

Eodem modo destillatur

AQUA MENTHÆ PIPERITIDIS.

Neminem latet, destillatas aquas medicinales veram utilitatem pro qualibet hominum classe non afferre, nisi quæ præditæ fuerint spiritu rectore sive aromate. Sed ex altera parte certum est etiam, in curatione pauperum loco aquarum destillatarum aromaticarum suppleri commode posse per infusa hausta ex ea parte vegetabilis, quæ adhibenda esset ad abstrahendam aquam destillatam. Sed cum tres illæ, quarum memini, aquæ aromaticæ hujus quam innuo constantis regulæ generalis exceptionem aliquam mereri possint, hinc earum peculiarem

mentionem facere volui. Aquam baccarum Juniperi retinere volui, quoniam hæc hauriri eo tempore potest, quo decoctio efficitur pro præparatione ROOB JUNIPERI. Item duas alias & maxime aquam menthæ piperitidis in re nostra retinui, ad vices explendas aquæ cinnamomi, ac ita consulendum pauperum egestati, multoque magis, cum casus emergant, in quibus illius usus opportunior esse possit; cumque sæpe contingat tolerari ab ægris infusa non posse, nisi maximo cum incommodo, ut in gravissimis morbis vel ab ægris maxime delicatis & abhorrentibus ab usu medicinarum, æquum erat, pauperes remedio non privari, quod ex una parte exigui dispendii sit, & ex altera magna vi & efficacia polleat. Has denique duas menthæ scilicet crispæ, & menthæ piperitidis, non unam tantum retinere volui, cum hæc postrema longe præstantior & efficacior sit aqua menthæ crispæ; & hæc utilis quoque esse possit, ubi indicata fuerit mitior vis excitantis remedii. Sic enim in promtu sunt duo diversi gradus & efficaciæ remedia, quorum nunc unum, nunc alterum, vel unum post aliud pro variis circumstantiis, & rei natura adhiberi facile possit.

Tres istæ, quarum memini, aquæ destillatæ aromaticæ interne adhibentur, ac modo ipsæ solæ præscribuntur cochleari sumendæ, nunc adhibentur pro vehiculo vel menstruo seu constituente diversarum mixturarum; ac demum pro additamento in aliquarum unciarum dosi faciendo mixturis.

AXUNGIA PORCINA PURIFICATA.

Sumatur ADIPIS PORCINI quantum libet, demtis membranis, venulis, & fibris, & tam diu aqua calida pura abluatur, donec clara nec amplius cruenta effluat; tum in frustula concisum igne leni liquefiat & post exhalationem humidi percoletur, & ab aëris injuria rite protegatur.

Eodem modo paratur

SEBUM OVILE.

Axungia interdum sola adhibetur ad usos externos, sed communius ad paranda UNGUENTA, LINIMENTA, EMPLASTRA &c. Sic etiam sebum ovile communius non adhibetur nisi tanquam pars ingrediens in ea, quæ nuper dixi, præparata. In iis locis vel eo tempore, quo sebum ovile vel rarius sit, vel majoris dispendii, substitui potest SEBUM BOVIS, quod eadem ratione purgatur, qua sebum ovile. Hoc seborum genus inservire utiliter potest in curatione pauperum ad omnes pene usus loco BUTYRI CACAO.

Axungia porcina cum vix ac ne vix quidem differat tam ratione principiorum, quibus constat, quam effectuum, quos parit, ab aliis adipibus, ipsa sola pro omnibus usibus in pharmacopoliis sufficere potest; ideoque ab iis exulare deberet ea adipum multitudo, quæ in aliquibus locis adhuc servari solet non sine inutili pauperum dispendio. Cæterum illa, ut prosit, recens absoluta esse debet, aut saltem talis, ut non incipiat rancescere, cum alioquin in aliquibus præ-

sertim circumstantiis non exiguum damnum afferre possit. Quare omnis diligentia adhibeatur oportet in ea requirenda & administranda, quæ optima sit & utilis esse possit.

CUPRUM AMMONIACALE seu SULPHAS CUPRI AMMONIACALIS.

Rec. Vitrioli cœrulei uncias tres,
Aquæ communis ebullientis, uncias novem.

Solvantur & solutioni paullatim addatur spiritus salis ammoniaci quantum satis est, ut CUPRUM coeat, penitusque iterum solvatur in liquorem cyaneum. Liquor filtretur & in vase parum profundo lenissimo tantum calore evaporetur ad siccitatem. Crusta cyanea adhuc calida redigatur in pulverem, & statim immissa in vitro probe claudendo usui servetur.

Hoc remedium interne præscribitur a dimidio grani ad duo, & usque ad octo in pulvere cum liquiritia aut alio pulvere, vel etiam in pillulis. Ubi datur in pillulis ex mica panis conflatis, massa nomen habet PILLULARUM CÆRULEARUM, sive ANTIVENEREARUM EDINBURGENSIUM. Aliqui putant hujus remedii usum sine ægrorum damno ultra mensem protrahi non posse. Quod tamen generatim non dicerem, cum ipse deprehenderim sine aliquo incommodo vel damno illius usum ultra mensem protractum fuisse. Illud certum est maximi interesse hoc remedium cum cautione adhiberi, ejusque doses accurate præscribi, quæ maxime sub initium exiguæ esse debent, ut in progressu

gradatim & paullatim prudenter augeantur, intermittendæ vero prorsus, ubi oriantur effectus sive mala, quæ diximus, ubi de vitriolo cupri sermo fuit.

Quod si progressu temporis remedium hoc præparatum proprium elegantem colorem amitteret, expediret illud conspergi & leviter conteri exigua copia spiritus salis ammoniaci.

Hæc præparatio etiam ex tempore institui posset hac ratione. In mortario vitreo conterantur duo partes vitrioli cupri cum tribus alkali volatilis sicci, donec omnis motus cessaverit, & in massam uniformem & cyaneam abierit; & interea dum teritur massa conspergatur pauxillo aquæ. Hæc vero massa involvatur carta bibula, exsiccetur in frusto cretæ aëri moderato exposita, ac tum asservetur in vitro rite clauso. Alkali ammoniacale siccum eo ipso tempore colligitur, quo paratur spiritus salis ammoniaci tartarisati.

ELECTUARIUM DIASCORDIUM.

Rec. Pulveris herbæ scordii uncias sex.
Radicis gentianæ drach. quindecim.
Angelicæ drach. quatuordecim.
Opii puri sufficienti vini generosi quantitate soluti drach. sex.
Mellis optimi uncias quadraginta.

Melli in vase reposito & parum calefacto primum perfecte opium uniatur adhibitur ligneo pistillo; dein protracta agitatione inspergantur

per vices pulveres, omniaque misceantur, ut fiat Electuarium uniforme.

Communiter præscribitur interne ab uno scrupulo ad duo & etiam ad drachmas tres solutum in aqua simplici aut aromatica; aut vino, vel alio vehiculo; & additur mixturis; cæterisque medicamentorum formis. Præscribitur etiam solum ore sumendum aut sub forma bolorum. In qualibet drachma invenitur unum granum cum duodecima parte circiter opii.

Si successu temporis electuarium hujusmodi nimis durum evaderet, tunc emolliendum esset non melle sed vino, quod observandum est etiam pro omnibus electuariis, in quibus opium ingrediatur; & quæ dicuntur opiata.

ELECTUARIUM PRO PECORIBUS seu THERIACA DIATESSARON.

Rec. Radic. gentianæ;
Flor. chamomill. ana unc. duas.
Baccar. Juniper unc. quatuor.
Myrrhæ unc. duas.
Hoc totum in pulverem redigitur, miscetur cum
Mellis depurat. libris duabus;
& efficitur electuarium.

Huic quoque electuario opportunum duxi in hac pharmacopæa locum concedere. Præscribitur autem a duabus & amplius drachmis, repetendum pro rei necessitate. Prodesse potest etiam hominibus præsertim applicatum externe regioni ventriculi.

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM AROMATICUM.

Rec. Spiritus vini rectificat. unc. sexdecim.
Instilla pedetentim, variisque intervallis.
Olei vitrioli rectificati unc. tres.
Per concussionem optime mixta digerantur per triduum; ac tum adde
Pulveris crassi radic. Zingiberis,
Folior. menth. piperitid. ana unc. unam.
Digere absque igne rursus per dies sex, & filtra.

Præscribitur hoc elixir a duodecim guttis ad viginti, quadraginta & usque ad drachmas duas, ut diximus de aliis ELIXIRIIS *Halleri* & *Wippellii*, iisdemque regulis atque cautionibus, quas pro iisdem adhibuimus.

ELIXIR AMARUM seu STOMACHICUM, seu BALSAMICUM TEMPERATUM, seu ROBORANS.

Rec. Aquæ menthæ piperitidis libram unam. In ea solve
Salis tartar. alcalini drach. duas.
Extract. gentianæ,
Roob Juniperi ana unciam unam, cui deinde adde
Olei essential. corticis citri drachm. duas sed prius soluti in spiritus vini unciis tribus.

Hæc omnia digestioni frigidæ commissa in

vase clauso per horas viginti quatuor ponantur; decantentur deinde, & in vasis vitreis bene clausis asserventur.

Utimur interne ab una drachma ad sex. Solum ipsum exhiberi solet, sed passim præscribitur sumendum in vino, aut aqua simplici aut alio vehiculo; vel additur aliquibus mixturis, & egregie vices explet plurium aliorum elixirium, vel tincturarum majoris pretii, & æstimationis, quæ sub aliis nominibus subministrari solent.

Verum est salem tartari alcalini non semper esse posse absolute necessarium ad bonum exitum hujus elixiris. Sed experimento didici, salis additionem utilem esse, cum semper conferat ad tenacius servandam combinationem & distributionem olei essentialis in liquido. Cæterum hæc, de qua loquimur, additio effici posset in pluribus casibus absolute necessaria, uti cum accidit debilitatem virium sociam habere in primis viis præsentiam acidi; hoc enim in casu additio salis alcalini non solum juvat, sed necessaria dici potest, ut continuo auferatur mechanicus stimulus, qui tanquam effectus causam fovere potest debilitatis continuato stomachi stimulo.

Hoc elixir efficacius reddi potest in aliquibus circumstantiis, si quaedam portio tincturæ calami aromatici addatur. Sed illud curandum est ut frequenter renovetur, cum facili corruptioni obnoxium sit.

EMPLASTRUM ADHÆRENS.

Rec. Emplastr. communis libras duas.
Resinæ puræ unc. quinque.

Terebinthinæ unc. tres.

His igne leni simul liquefactis & bene mixtis efficiatur Emplastrum.

Hoc emplastri genus inservit tegendis vul-ribus ab aëris externi contactu, iterumque con-ıgendis carnosis partibus divisis, aut laceratis, ·tissimum vero confert ad continendum acur-ɔnum apparatum.

·IPLASTRUM COMMUNE seu LYTHARGY-RI, seu DIACHYLON SIMPLEX.

:c. Lithargyri pul. libras tres.
Ol. olivar. libras sex.
Aquæ commun. q. s.

Hæc coquantur leniter agitatione perenni; ·vaque addatur aqua calida loco evaporatæ, ınec lythargyrum dissolutum fuerit, nec am-.us massa digitis adhæreat.

Hoc genus emplastri potissimum inservit ɔ basi aliis emplastris.

·IPLASTRUM GUMMOSUM, VULGO DIA-.CHYLON CUM GUMMI.

:c. Emplastri communis libras quatuor.
Ceræ flavæ,
Terebinthinæ ana unc. tres.
Gummi ammoniaci,
Galbani ana unc. quatuor.

Gummata solvantur sufficienti aceti copia; percolata solutio coquatur usque ad consistentiam mellis spissioris; ac deinde simul fundantur emplastrum, cera, & Terebinthina. Tandem assidua agitatione commisceatur gummosa solutio, & fiat emplastrum.

Super particulam pellis, aut panni linei emplastrum extenditur, ac prout res postulat, diversis corporis partibus applicatur. Non raro promtior efficitur operatio, si antequam applicetur, corporis partes aceto aliquantulum fricentur.

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

Rec. Ceræ citrinæ unc. sexdecim.
Ol. olivarum,
Terebinthinæ ana unc. septem.
His liquatis & aliquantulum refrigeratis admisceantur.
Pulveris Cantharid. unc. undecim.

Hoc eadem ratione applicatur. de altero. Communis dosis pro quolibet vesicante duarum drachmarum est. Non raro tamen expedit etiam dimidium unciæ adhiberi. Non semper eo fine applicatur, ut vesicam excitet, sed interdum solum ut rubefaciat. In primo casu passim per duodecim horas applicatum tenetur; in altero paucarum horarum spatio.

Hæc species Emplastri sæpius parari debet, ut semper recens emplastrum sit; alioquin vim suam amittit. Vis autem ipsius & effectus augeri potest, si emplastrum pulvere canthari-

um conspergatur. *Keup* & *Selle* aliique monent, t in aliquibus casibus hoc emplastrum aliqua osi CAMPHORÆ misceatur tum ad augendam ›sius efficaciam, tum etiam ad arcenda aliqua ıcommoda, quæ interdum solent oriri.

XTRACTUM ABSINTHII.

:ec. Herbæ absinthii exsiccati vel viridis quantum vis.

Coquatur in s. q. aquæ ad perfectam extractionem. Decoctum forti pressione percolatum evaporetur juxta legem artıs, ut fiat extractum, quod a dimidio scrupuli ad unam drachmam & usque ad tres præscribitur.

Eodem modo præparantur, quæ sequuntur.

EXTRACTUM CICHOREI ex tota planta viridi ope decoctionis; melius vero, si utamur succo depurato, atque præscribitur ab uno scrupulo ad unam drachmam & usque ad sex.

EXTRACTUM GENTIANÆ ex radice, quod eadem fere dosi præscribitur, qua extractum absinthii.

EXTRACTUM QUERCUS ex cortice ramorum, quod potest etiam vices explere EXTRACTI TORMENTILLÆ, atque præscribitur a decem granis ad viginti, unamque drachmam. Sed sæpius præscribi potest utilius simul cum aliquo ex-

tracto amaro in varia dosi pro variis circumstantiis.

EXTRACTUM SALICIS ex cortice ramorum, eademque dosi fere præscribi potest, qua datur extractum cichorei.

Hæc omnia extracta subministrantur interne, in aliquo soluta vehiculo, vel additis aliquibus mixturis, sive electuariis, aut in pilulis. Expedit speciatim in pilulis præscribi præsertim EXTRACTA ABSINTHII & GENTIANÆ, cum hæc soluta saporem habeant maxime amarum, qui tolerari utpote nimis gustui molestus tam facile non potest, speciatim ab ægris irritabilis vel delicatioris temperamenti. Accidit aliquando ob amaritudinis qualitatem & indolem sine incommodis adhiberi non posse; quo in casu propterea magis prosunt amara gratiora.

Hæc etiam extracta loco constituentium esse possunt pro conficiendis diversis pilularum massis; atque in hunc usum communius magis expedit adhiberi œconomiæ causa EXTRACTUM SALICIS. Ubi utendum sit extracto absinthii, cum hoc contineat aliquam partem salis ammoniaci, opus est illud contrectari in mortario vitreo.

Extracta amara præsertim ABSINTHII & GENTIANÆ etiam externe præscribi possunt, ut reapse ab aliquibus practicis medicis præscripta sunt adversus symptomata molesta vermium, aliisque in casibus.

Res est experimento nixa, vel ipsa theoria satis probata, non paucas substantias medicaminum systemati cutis applicatas ope præsertim

frictionum parere effectus posse non multum ab iis dissimiles, quos pariunt adhibitæ interne. Non pauca experimenta & observationes ex veteri medicina accepimus; multasque postremo evulgavit clar. doctor *Chiarenti*, quas quidem observationes a medico florentino productas alii Italiæ medici successu temporis ampliarunt, inter quos recenseri potest Doctor *Brera* in Ticinensi Lycæo. Doctor *Chiarenti* pro bono exitu remediorum pro externis usibus adhibendorum necessarium esse censuit, ea solvi in succo gastrico. Alii satis esse putarunt quemlibet alium humorem animalem. Ad me litteras dedit Doctor *Aloysius Frank* in republica litterarum satis notus, quibus mihi nuntiavit doctorem *Chiarugi* medicum florentinum peritissimum, qui præest curationi quadringentorum & amplius maniacorum, plus quam viginti experimenta instituisse usu OPII simpliciter adipi conjuncto, atque in usum frictionis adhibiti, seque deprehendisse opium absque succo gastrico vim totam suam exercuisse. Similia experimenta non in opio tantum, sed etiam in aliis remediis ipsemet habui, eundemque effectum comperii. Jam in ea semper opinione versatus fueram, quod satis utilem actionem habeant remedia etiam externe applicata, utque ipsa interius insinuentur præsertim arida passim nihil opus habere, nisi ut consocientur alicui substantiæ, non ita tamen, ut crederem, ad finem consequendum unicum menstruum esse posse opportunum, neque unum menstruum posse congruere solutioni remediorum diversæ indolis atque naturæ. Semper enim putaveram, ut ipsa experientia postea docuit, menstrua esse posse diversa pro diversa remediorum

indole, ut propterea vel ipsa aqua sæpe esse queat menstruum satis idoneum.

Cæterum cum ex una parte succus gastricus extra animalium ventriculum habere nequeat actionem ac proprietatem aliam ab ea, quam habent ipsius principia constituentia; ex altera hæc ipsa principia, cum nota sint, polliceri nequeant aliquam singularem actionem & vim, concludendum esse videtur hoc menstrui genus utpote incommodæ & parcæ admodum acquisitionis, licet in aliqua circumstantia ut menstruum contemni non possit, cæteris tamen menstruis postponi oportere, idemque magis dicendum de aliis animalibus humoribus.

Sed illud est certum, applicationem externam remediorum lentius quidem actionem suam producere quam soleant interne adhibita, ea tamen etiam externe operari; immo in pluribus casibus opportunissimum esse posse & maxime utilem eorum usum externum, ut in infantibus, in ægris delicatioris naturæ summeque irritabilis ventriculi ad quemvis stimulum, vel invincibiliter abhorrentis ab usu medicamentorum, in quibusdam morbis ejus indolis, ut medicamina ore sumenda prohibeant, aliisque in casibus. Memini me adhibuisse felici sane successu chinam in substantia sub forma cataplasmatis, ejusque decoctionem saturatam sub forma fomentationis, pro duobus infantibus, uno trium annorum, altero minoris ætatis, qui in magno vitæ periculo versabantur ob perniciosam febrim, qua affecti fuerant, & a qua liberati fuerunt per assiduam chinæ applicationem regioni ventriculi, aliisque abdominis partibus factam modo sub una, modo

sub altera forma. Eximiis cl. virorum *Breræ*, *Giulio* ac *Rossi* observationibus constat, exteriorem remediorum usum ope potissimum fricationum præter ea commoda, quæ recensuimus, eam quoque utilitatem parere, quod ea ratione facilius, & pene sine periculo adhiberi queant plura remedia prædita vi potentiori, & maxime vehementi. Quæ quidem utilitas pluris haberi debet, nec aliis postponi, immo sæpe momenti maximi esse potest. Hac enim ratione utiliter non raro uti possumus vario remediorum genere, e quorum usu interno, & præsertim ab eorum sumptione facienda ob nimiam eorum energiam abstinere cogimur, ne ægrotantes graviori periculo exponantur, licet in quibusdam morbis & circumstantiis magna ab eorum usu expectari posset utilitas. Plurimi ergo interest, hanc utilitatem trahi posse sine ullo infirmorum periculo, uti per supradictam methodum obtinetur.

Cum igitur magis comprobetur in dies, magisque elucescat vis, & actio non levis, quam remedia exercent, etiam exterius applicata præsertim ope fricationum, utpote absorbenda ab absorbentibus vasculis, & circum agenda interius per corpus, & ex altera parte incommoda per eum externum declinentur, quæ proficiscuntur ab eorum usu interiori potissimum per os facto, ut infra dicturi sumus; maxime expedire puto omnia remedia, vel saltem eorum præcipua, quæ maxima energia, & efficacia operandi violenta donata sunt, ad arcendum incommodorum periculum ad usus tantum exteriores adhiberi. Hoc enim modo trahitur utilitas, quam parere potest hoc remediorum genus, quin timeantur

damna, quæ oriri possunt ob nimiam energiam, & vim ab usu eorum interno. Nam exterius applicata ab externa corporis superficie migrant ad partes corporis internas, quin actionem immediatam exerceant in organum ventriculi nobilissimum, maximoque sensu præditum aliasque partes non valde dissimiles nobilitate & vi sentiendi; sed per alios corporis ductus seu partes indolis omnino diversæ transeunt, susceptis antea variis modificationibus & temperamentis. Quo fit, ut per exteriorem eorum applicationem ea incommoda saltem tam facile oriri nequeant, quæ timeri jure possunt, ac sæpe prodeunt ab interno eorum usu.

Auctores, quorum supra memini, monent, se deprehendisse actionem horum remediorum applicatorum exterius per fricationes promtiorem esse, quam passim habetur ab ipsis interne præscriptis. Loquuntur ii de remediis maxime energicis, qua in re effectum, quem innuunt, censeo repetendum esse non a modo sumtionis remediorum, sed ab eorum dosi longe diversa. Cum enim ea externe adhibentur, utimur multo largiori dosi, quam præscribi soleat pro usu illorum interno. Quare absorbentur illa tam large applicata a corporis vasis majori in copia, apta propterea citius sibi propriis producendis effectibus, quam cum interne adhibentur utpote sumta longe minori dosi, qua uti cogimur, lentius propterea actionem suam exerente.

Cæterum opportune monent recensiti scriptores, ut remedia ope fricationum externe adhibenda facilius, & promtius absorbeantur a corporis vasculis, corporisque variis partibus insi-

nuentur, dividi oportere, quantum fieri potest, in particulas tenuissimas. Quod sane accurate observandum est, ut optatus effectus obtineri possit a remediis exteriori corporis superficiei applicandis.

De utilitate usus, & applicationis remediorum in cute ope præsertim fricationum egerunt maxima diligentia, & acumine philosophico præ cæteris celeb. viri *Chiarenti*, *Brera*, *Giulio* & *Rossius*, qui methodum hanc accuratissime adhibuerunt, ac multiplici observationum, & experimentorum genere tam clara in luce posuere, ut cum medicinæ non exiguam utilitatem attulerint, iisdem gratulari debeant, gratumque animum gerere omnes ingenui medicinæ cultores. Ego quidem de hoc argumento plene iisdem assentior, si excipias, quod ajunt de necessitate adhibendi pro istorum remediorum usu succi gastrici vel salivæ &c. in vicem alterius cujusvis substantiæ solventis ad usum vehiculi idoneæ, ut facilius applicata remedia a variis corporis vasculis absorbeantur. Qua in re cum ipsis convenire non possum idque repetere malo a tenuitate ingenii mei, quod vim rationum, quas illi in medium proferunt, fortasse assequi non valeat, quam abnegata debita illis æstimatione, quam erga eos profiteor mihi esse longe maximam.

Potior ratio, quam ipsi ad adstruendum, quod asserunt, proferre solent, ni fallor, in eo sita esse videtur, quod dicant succo gastrico, salivæ aliisque hujus generis animalium corporum humoribus hoc, ut ita loquar, privilegio gaudere, ob vim animantem, vel ut clarius, licet minus latine loquar, animalisantem, qua vigent,

& quam ipsi opinantur imprimi variis illis substantiis; qua fit, ut ea vi percitæ ab aliis distinguantur, & apellationem propriam sortiantur substantiarum animatarum, seu animalisatarum. At de hac ratione quid sentiam, candide aperiam. Non diffiteor succum gastricum, salivam, aliosque animales humores vere elaborari a natura vi sua propria in animali vivente atque ab hac vi naturæ ministerio parata repeti oportere, diversas proprietates, ac notas, quibus substantiæ insignitæ sunt. Concedam præterea ab ea vi, quamdiu ipsa permanet & præsens adest, imprimi posse peculiares proprietates; id quod præstare chimicus arte non potest, cum arte vim illam naturæ exæquare non valeat. In hac re nullus controversiæ locus esse potest. Sed illud intelligere nequeo, qua ratione vis illa, quæ apte vocari potest vis animalisationis, ubi ipsa vel exstincta fuerit, vel effœta, actionem suam exerere possit. Jam vero extra dubium est, eam vim extingui, vel inertem fieri, ubi cessent opportunæ rerum circumstantiæ, quæ ad eam alendam ac sustinendam concurrebant. Id quod satis apparet ex variis experimentis, quæ de succo gastrico aliisque animalis viventis humoribus habita fuerunt, cum per ea proditum sit, rem aliter se habere in humoribus separatis a corpore viventi, quam se habeat in iisdem corpori adhærentibus, eique conjunctis, ut propterea jure dici possit, in humoribus separatis a corpore vim animalisantem extinctam esse, atque in iis non superesse nisi effectum ab actione vis ejus animalisantis profectum, quæ in eosdem corpori viventi adhærentes exercita fuit. Qui sane effectus

a vi naturæ productus, cum ratio nos lateat, qua ille prodeat a vi naturali, artis magisterio per imitationem obtineri non potest; quo fit, ut ea corpora, quæ actionem vis animalisationis in se susceperunt, artis subsidio æqualiter prorsus efformari non possint, licet eadem ipsa principia inter se uniantur, quibus illa per analysim constare dignoscitur. Sed huc quæstio redit, ut videamus, an ea de causa, quod substantiæ semel expertæ fuerint actionem vis animalisantis, retineant peculiares quasdam proprietates, quibus exterius adhibitæ aptiores reddantur, reddantque aptiora remedia subeundis internis corporis vasculis, ac permeandis corporis partibus, cum in ipsa actionem exerceant suam solvendo, vel attenuando, & iis communicando affinitatem cum organis absorbentibus. Id quidem facile intelligetur ubi energia vis animalisationis adhæreret humoribus animalibus etiam sejunctis a corpore vivente, sed cum, ut diximus, ea vis in humoribus separatis, vel prorsus intereat, vel iners fiat, hinc mihi impervia res est, nec induci possum ad eam prærogativam succo gastrico aliisque similibus humoribus eatenus impertiendam, quam iis adstruunt viri celebres, quorum meminimus.

Nihil superest, nisi ut dicatur ad causam eorum tuendam, vel solam impressionem sive effectum illum, quem vis animalisationis in humoribus peperit, qui illius actionem experti sunt, cum corpori viventi adhærent, humoribus ipsis dedisse vim attenuandi, solvendique substantias, quibus uniuntur, iisdemque eam affinitatem communicandi, quam ipsi receperant,

cum partibus corporis, seu absorbentibus organis, quibus humores, & remedia cum illis unita applicantur. Ex quo intelligi posse putant, cur remedia ope istorum humorum confecta facilius, & promtius absorbeantur ob majorem præ aliis vehiculis aptitudinem & analogiam. Hoc unum esse video, quo illi uti possint ad opinionem suam quoquemodo propugnandam. Sed istae suppositiones nihil meo judicio habent ponderis, atque hac in re, ut sensus meos explicem, mihi liceat paulo accuratius immorari. Certe, ut paulo ante innuebam, vim animalisantem singulares effectus sibique omnino proprios parere posse, patet exemplis innumeris carnium scilicet, quæ minime concoctæ, & vix animali interfecto manducantur, seminis hominis aliorumque animalium, lactis, ovorum, aliarumque substantiarum, ac vel ipsius præsertim succi gastrici. Consonum enim rationi esse intelligitur ab ea vi animalisanti repetenda esse phænomena, sive effectus, quos prædictæ substantiæ pariunt in animali vivente contentæ, vel vix ab eodem expulsæ vel abstractæ. Experientia sane constat lactem haustum e mammis, vel etiam sumtum vix expressum manibus, ova statim ab expulsione suscepta, aliasque substantias potiorem vim excitantem habere ac facilius digeri; idque proportione decrescere pro ratione temporis, quo separata fuerint ab animali vivente. Sed ex altera parte certissimum est hanc vim animalisantem ab actione cessare, ubi cessent adjuncta, quæ ipsam producunt, & alunt, uti cum cessat vita animalis &c — Quod confirmat exemplum ovorum, lactis &c., quorum

effectus diversi sunt pro temporis ratione, quo ab animali vivente abstracta, ac separata fuerint; cui quidem vis animalisationis imminutioni, vel defectui arte succurri non posse compertum est, ne caloris quidem ope, vel cujus vis alterius rationis adhibitæ sicut patet, vel in ipso succo gastrico, cujus vis in ventriculo animalis exercita maxima, ac mirabilis est attenuandi, digerendi, solvendi substantias actioni subjectas; in quas nullam actionem exercet, vel omnino diversam, ubi succus sejunctus fuerit a ventriculo animalis viventis; etiam si quodam caloris gradu foveatur. Cum ergo hæc vis, quæ substantias animalium viventium comitatur, omnino evanescat in earum a corpore vivente separatione, cumque ea sit una causa peculiarium effectuum, qui ab iis ea vi prodire observantur, colligere pronum est, frustra ab ea vi animalisante expectari consuetos effectus, ubi substantiæ sejunctæ fuerint ab animali, licet antea susceperint vis animalisationis actionem; cum ab ea vi desertæ, cujus præsentia in separatis substantiis non adest, impares sint, extra animalis corpus effectibus producendis, quos antea pepererant corpori animali adhærentes, cum nempe moverentur ab ea vi, cujus actio in earum separatione cessavit.

Ex hac theoria, quæ rationi, & experientiæ consona est, patet proprietatem, & vim singularem, qua præditus est succus gastricus digerendi, & permeabiles reddendi multas substantias, multaque remedia, a solis principiis, quibus ille constat, nec per se separatim inspectis, nec simul invicem unitis repeti posse, sed

ab aliis etiam causis, maximeque ab actuali concursu vis animalisationis; hinc ne succum quidem gastricum naturalem, ubi e ventriculo animalis viventis abstractus fuerit, cum hoc in statu sejungatur a vi animalisationis, esse non posse opportunum vehiculum ad digerendas, ac attenuandas alias substantias, quod præstiterat contentus adhuc in animalis viventis ventriculo, eosque propterea falli, qui a succo gastrico e corpore abstracto eosdem effectus expectant, quos ipse parere solet ventriculo adhærens; immo re penitius inspecta succum gastricum naturalem e ventriculo animalis divulsum, sin minus quo ad proprietates ac notas, saltem quoad modum agendi in substantias, quibus unitur, nullum, vel exiguum discrimen præseferre cum succo gastrico artefacto. Dixi nullum, vel exiguum id esse discrimen *quoadmodum agendi*, nam quoad cæteras proprietates potest discrimen esse maximum, nam naturæ magisterium, ut antea monueram, impervium est; eaque principiorum compositio, quæ fit subsidio vis animalisationis eo statu, eo modo, eoque unionis, & circumstantiarum concursu, quo composita facta a natura resultant, solius artis ope obtineri non potest, quacumque sagacitate chimicus utatur, ut naturæ opus imitetur. Hinc quamvis chimicus, postquam per analysim principia substantiarum componentia detexerit, opus naturæ imitari possit afficiendo humorem lacti, succo gastrico, aliisque substantiis similem, sic tamen imitationem arte non perficit, ut eas substantias adæquate imitetur, eoque prorsus modo, statu, & adjunctis præcise rem assequatur, ut a natura

fit, deficiente vi animalisanti, quam ars imitari nequit, ideoque deficiente essentiali, ac præcipuo instrumento, quo corporum principia uniri solent, ea intima unionis ratione, eoque statu, iisque modis, ac temperamentis, quibus a natura unio perficitur in animali vivente Quæ licet sint vera; hæc tamen non efficiunt, quo minus verum sit, substantiam ab animali vivente divulsam vi animalisante prorsus destitui, non secus ac illa careat similis substantia artis subsidio parata. ideoque, quo ad modum agendi earum vel nihil ab artefacta differre.

Nec juvat dicere succum gastricum, salivam aliosque similes humores licet separatos ab animali vivente, retinere tamen proprietates quasdam singulares iis impressas ab actione vis animasationis, quam antea experti fuerant, cum animali viventi adhærerent, quamdam scilicet majorem præ cæteris cum absorbentibus organis affinitatem, etiam substantiis, quibus humores miantur, communicabilem, nec ab humoribus artefactis ullo modo expectandam. Nam primo hoc unum fini, de quo loquimur, assequendo sufficeret, aliæ plures substantiæ eodem fini assequendo essent idoneæ, eæ scilicet, quæ vim, actionem vis animalisationis passæ sunt, ut v. gr. butyrum, axungia, &c. Ex altera parte notum est, alias plures substantias, licet vis animalisationis actioni nunquam subjectas, reputari tamen idoneas, eidem consequendo effectui & has ipsas affinitatem non sine ratione habere credimus cum absorbentibus organis mamamque in remedia actionis suæ exerendæ facilitatem, cujusmodi sunt aqua, olea, &c. Quod

si, ut prælectionem concedant humoribus actionem vis animalisationis expertis, licet postea separatis a corpore, ab eaque propterea divulsis super alias substantias vim animalisantem numquam expertas, ac super ipsum butyrum, axungiam &c. ad observationes & experimenta confugiant, his alias objicimus observationes, & facta contraria notata a *Chiarugio*, a me ipso, ab *Aliberto*, *Dumevilio*, & *Pinelio*, aliisque medicis. Quare sive ratio consulatur, sive experimenta, mihi non videtur res tam perspicua, ut viris illis celebribus, quorum auctoritatem allegant.

Atque hæc ipsa applicari volo etiam salivæ, immo quoad hanc, observationibus uti volo Clar. *Brerae*, qui scite animadvertit corpora abundantia substantia mucosa, vel albuminosa minus apta evadere ad finem hunc, de quo agimus, quam sint humores subtiliores & aquei. Quo posito, videtur consequi multo minus aptam censendam esse ad idem opus salivam præ aliis humoribus, ac vel ipso succo gastrico, cum saliva muco ex substantia albuminosa destituta non sit.

Ut ut res sit, de his quæ hactenus dicta sunt, de quibus sapientioribus judicium remitto, optandum esse censeo vera non esse nec latius patere encomia, & elogia, quibus pro faciliori remediorum externe applicatorum absorptione extolli solent substantiæ antea affectæ ab actione vis animalisationis, maximeque succus gastricus, aliique humores digestioni inservientes &c. Nam ex una parte certum est utilitatem maximam trahi ab externa remediorum applicatione. Id quod

clare constat ex observationibus nuper habitis a doctis viris *Chiarentio*, *Chiarugio*, *Brera*, *Giulio*, *Rossio*, & a Gallicis, quorum memini, medicis, tum a *Santorinio*, *Vaccà Berlinghiero* Pisaro, *Sacchetto*, *Stibonio* aliisque medicinæ cultoribus eximiis, & a me ipso, qui variis remediis usi sunt externe applicatis ope nunc succi gastrici, nunc salivæ, modo bilis, modo solius axungiæ, nunc aliarum multiplicium substantiarum. Atque hanc methodum exterioris remediorum applicationis communiorem, & frequentiorem fieri, quam esse soleat, optandum est, cum illa non exigua commoda, nec pauca parere possit, ut ipsemet hoc eodem anno iterum observavi, cum Ticini maxime sæviret mense martii, & aprilis vis febrium, ut ajunt, nervosarum. Opportunissima enim methodus fuit præsertim pro iis infirmis, quibus nullo modo remedia interna poterant subministrari,. & quibus satis commode per hanc methodum succurri potuit, sanitasque restitui. Ex altera autem parte, ubi utilitas usus externi remediorum aut nullo modo, aut parce admodum expectari posset, nisi adhibitis pro menstruis, sive vehiculis hujusmodi humoribus, præsertim vero succo gastrico, aut saliva, illud incommodum oriretur, quod tam late extendi non posset eorum usus, ac postularet utilitas, cum vix ac ne vix quidem haberi posset sufficiens istorum humorum copia, quanta ad usum requireretur.

Atque id maxime locum haberet in usu salivæ; cum sæpissime maxima difficultas oriretur in hac methodo adhibenda ob nauseam facile orituram tam in iis, qui hoc remediorum ge-

nus parare, quam in illis, quibus applicari deberet. Unde vero tanta salivæ quantitas comparari posset, quanta opus est non raro ad istorum remediorum præparationem? Anne adigendi Pharmacopolæ ad exhauriendum perpetuo totum propriæ salivæ negotium cum maximo eorum damno? Anne cogendi, ut indesinenti labore mandant, & perenni dentium linguæque attritu, & conatu salivam e glandulis exprimant, ut usui inserviat? Ergo nemo non videt hisce de causis tam late patere non potuisse hujus methodi usum, quam postularet utilitas, siquidem comprobata fuisset. Ex adverso cum adhiberi possint menstrua alterius generis magis obvia, semperque promta, clarum est hanc methodum non solum quovis tempore adhiberi facile posse; sed etiam late extendi & universim usurpari.

Cæterum ut cogitationes meas in unum colligam, & in quo sita sit controversia nostra, evidens fiat, indeque pateat tam magnam non esse, ut prima fronte videri posset, sic summam hactenus dictorum exhibeo. Primum extra dubium est innumerabilia esse remedia, quæ exteriori corporis superficiei applicata ope aquæ, oleorum, axungiæ, aliorumque vehiculorum permeant in interiores corporis poros, & circumaguntur in corpore. Id nemo in dubium jure vocaverit. Fateor deinde succum gastricum, salivam, aliosque humores digestioni inservientes &c. eidem fini consequendo idoneos esse posse. Neque in hac re ullus est controversiæ locus. In eo igitur ab auctoribus citatis dissentio, quod ego non putem succum gastricum, alios-

que similes humores aliis vehiculis adhiberi solitis eminere gradu potentiori virtutis, energiæ & aptitudinis, ad opus, de quo loquimur assequendum. Atque in hac sententia me tenent rationes superius adductæ, a quibus hactenus doctorum virorum argumenta, qui aliter sentiunt, me dimovere non valent, donec saltem non proferantur in medium efficaciora argumenta, majorque observationum, & experimentorum copia, quæ accurate multipliciter, ac diligentissime fiant oportet absque præjudicata opinione, & sine studio præpropere, quo nos nescientes, ac sæpe nolentes rapimur, propriarum inquisitionum, atque tentaminum, quibus nitimur, novitatem adstruere.

Certe observationes & facta hactenus relata a præclarissimis viris, ut succi gastrici salivæ aliorumque similium humorum prærogativam super alias substantias, & eminentiam hac in re adstruant, rem non ita conficiunt, ut nihil desiderandum relinquant, præsertim cum exadverso habeamus observationes & facta, quæ non ipse solum deprehendi, sed etiam viri clarissimi, quorum memini, retulerunt, e quibus constat eundem prorsus effectum in re nostra obtineri ope aliorum vehiculorum, qui obtinetur ope succi gastrici aliorumque humorum animalium.

Quare ex hactenus dictis hæc mihi jure concludi posse videntur, quod ad praxis utilitatem attinet. Ubi agatur de substantiis solidis aridisque, quæ introduci ipsæ per se nequeunt per corporis vascula in intimas corpo-

ris partes, satis erit vehiculi loco adhiberi quamlibet substantiam; quæ apta sit artis opportunæ subsidio solvendis attenuandisque diversis remediis, quæ adhibenda sunt, ut ista a superficie exteriori corporis intus absorbeantur, & in corporis machinam transeant. Cui quidem fini assequendo opportunius inservient substantiæ, quæ ipsæ per se tenuiores & fluidiores sunt, aut ejusmodi effici possunt ope levissimi gradus caloris, ut est calor animalis, quales substantiæ esse possunt. Butyrum recens vaccæ, vel butyrum cacao, axungia aliæque. Meliores autem censendæ sunt pro effectu assequendo substantiæ, quæ magis fluidæ & aquosæ fuerint, minusque opportuni Liquores maxime energici, & spirituosi, ut sunt liquores ætherei, spiritus vini &c. ob actionem nimis stimulantem, ac violentam, quam ipsi in organa absorbentia exercere possunt. Igitur rationi consonum puto vehiculorum genus in re, qua versamur, non unum esse oportere, sed multiplex, ac pro qualitate, & indole remedii applicandi, ac vel ipsius morbi, & ægri curandi affectione diversum. Id quod nec usum quidem succi gastrici salivæ aliorumque humorum animalium excludit, non quod isti, utpote vim experti animalisantem, præferendi sint cæteris ob peculiarem, sibique proprium modum agendi, sed quod & isti pro circumstantiis apti esse queant proposito fini assequendo.

EXTRACTUM ACONITI NAPELLI.

R. Herbæ recentis aconiti quantum vis.

In marmoreo mortario pistillo ligneo contundatur, succusque prælo expressus percoletur & decoquatur, donec fœcula separetur; deinde liquor igne leni clarificatus iterum percoletur, & l. a. evaporetur ad extracti spissitudinem. Interea fœcula exsiccetur & in pulverem subtilissimum redacta extracto diligenter commisceatur.

Eodem modo præparantur

EXTRACTUM CICUTÆ & NASTURTII AQUATICI.

Hæc extracta interne ea forma præscribuntur, qua præscribuntur extracta amara. EXTRACTUM ACONITI præscribitur sub initium ab uno grano, & lente dosis progreditur, & paulatim per vices usque ad unam drachmam, sed semper datur divisim. EXTRACTUM CICUTÆ eadem cautione adhibetur, ut extractum aconiti, sed incipitur a tribus granis usque ad duas & etiam ad drachmas tres, ea tamen lege servata, ut præscriptio sistat per plures dies in prima dosi, & deinde maxime sub initium non augeatur, nisi a dimidio grani vel ad granum per singulas vices. Quæ quidem regula observanda est etiam in usu EXTRACTI ACONITI, & generatim cujuscumque remedii violenti & multum energici, aut suspecti. EXTRACTUM NASTURTII ab una drachma adhibetur ad quatuor drachmas. EXTRACTUM CICUTÆ præscribitur etiam inter-

dum solutum in collutoriis, & etiam applicatum externe & in aliquo casu optimos effectus parit, si applicetur mixtum cum unguento mercuriali. Placet quibusdam præscribere EXTRACTUM ACONITI etiam in pulvere. Quo in casu, tamquam constituente uti fas est pulvere liquiritiæ, non vero saccharo. EXTRACTUM ACONITI, ut & illud CICUTÆ non expedit adhiberi ut constituentia pro conficiendis pilularum massis, cum talia remedia sint, ut postulent accuratissimam dosium præscriptionem. Huic fini inservire potest EXTRACTUM NASTURTII. Tam vero EXTRACTUM CICUTÆ, quam EXTRACTUM ACONITI utiliora sæpe fiunt, si præscribantur cum aliis remediis conjuncta, ut esset eorum inter se ipsa mixtio, interdum cum mercurio dulci, cum sulphure aurato antimonii, cum china, aliique corroborantibus amaris &c.

Quæ quidem monita circa rationem adhibendi hujus generis EXTRACTA, ACONITI scilicet & CICUTÆ nunquam satis inculcari possunt. Quo enim sunt efficaciora remedia, si rite adhibeantur, eo magis nocere possunt, si inopportune, vel male administrentur, ut propterea eorum usus & justa dosis præscribi accurate debeat secundum effectus, & secundum circumstantias, quæ possunt emergere. Hinc quamvis maxime commendetur usus EXTRACTI CICUTÆ, attamen multorum judicio ab illius usu intemperanti creditur non pauca damna derivari, scilicet cardialgiam, syncopem, vertiginem, nauseam, abdominis inflammationem, membrorum tremorem & totius corporis debilitatem. Ita censeat *Hænius*, *Whyt*, *Schmucker* aliique. Qui mali

effectus, vel saltem non multum diversi timeri æque possunt ab usu præpostero EXTRACTI ACONITI. Repetendum est igitur maxima circumspectione in his remediis, eorumque præsertim dosi præscribenda opus esse. Nam si interdum hæc remedia vel intemperanter adhibita, vel ultra justas doses præscripta ea, quæ sponte manare possent, incommoda non pepererunt, opinor id potius repetendum esse a mala remediorum præparatione, vel ab eorum ob vetustatem effœta jam vi, quam ab istorum remediorum non rite adhibitorum innocentia.

Tria autem, quæ diximus extracta ut tota vi, quam natura habent, operentur, opus est ea recenter, quantum fieri potest parari, cum ultra anni spatium diutius non durent; opus est etiam usum præsertim EXTRACTI ACONITI & CICUTÆ non raro continuari per aliquot menses.

EXTRACTUM CICUTÆ, ut ait cl. *Murray*, quod sit bonæ notæ, esse debet crassum, & fusco viridescens ingratissimi odoris quasi a muribus. Sic etiam EXTRACTUM ACONITI ut bene paratum sit, esse debet spissioris consistentiæ, coloris viridis - fusci, odorisque nauseosi sibi proprii.

Illud quoque moneo in præparatione trium extractorum de quibus loquimur & generatim eorum omnium, in quibus creditur opus esse contineri fœculam proprii succi, ab eo, quem diximus, processu absolute declinandum non esse. Hoc enim si fiat, extractum efficitur totum æquabiliter levigatum, & sine alteratione longe durabilius. Quod sane deprehendi non contingere, ubi instituatur processus, qui passim adhibetur, quo nempe evaporatur succus cum fæcula.

Illud demum moneri volo, quod maxime necessarium existimo, ut in præparatione EXTRACTI CICUTÆ, multoque magis EXTRACTI ACONITI, dum herbæ pro extrahendo succo contunduntur, duratque evaporatio ejusdem herbarum succi, diligentissime caveatur, ne quantum fieri possit, excipiatur odor, vel vapores plantarum hauriantur, cum tam iis, qui adsunt, quam multo magis operatori non exigua incommoda accidere possint. Ipsemet expertus sum in præparando EXTRACTO ACONITI visus abolitionem, & lipothymiam. Quod aliis pariter contigisse in eadem operatione jam novi. Hisce similia incommoda contingere deprehendi etiam in præparatione extracti cicutæ. Quæ ut caveantur, oportet prædicta extracta parari in aëre libero, & operantem ita consistere, ut ab eo fugiat aër, qui in operatione extractorum impleri solet plantarum vaporibus.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES, seu *murias ferri ammoniacalis.*

Rec. Salis ammoniaci unc. sex

Solvantur in vase terræ anglicanæ, aut vitreo in s. q. aquæ destillatæ

In hac solutione additur

Limaturæ martis puræ unc. dimidium.

Postea per aliquot dies in infusione relinquitur, deinde lentæ ebullitioni exponitur, interea dum in eodem vase limatura agitatur spathula lignea, novaque additur aqua, prout ipsa evaporatur, & donec ferrum solutum sit. Li-

quor deinde filtratur & evaporatur usque ad siccitatem. Massa in pulverem teritur, qui asservatur in vitro accurate clauso.

Hoc remedium interne præscribitur in pueris a dimidio grani ad unum, ad tria, in adultis a quinque granis usque ad drachmam unam; præscribitur vero cum aliquo ingrediente tanquam simplici constituente, ut cum pulvere liquiritiæ aut altero; sed communius miscetur cum pulvere indoli ægritudinis congruo, pro qua dicti flores præscribuntur. Dosis autem prædicta caute & divisim præscribatur, & augeatur. Solent etiam præscribi soluti in aliquo congruo vehiculo & addi alicui mixturæ, vel alicui electuario. Adhibitos fuisse constat, licet raro solutos etiam pro usibus externis.

FLORES ZINCI, seu *oxidum Zinci sublimatum.*

Rec. Zinci in frustula redacti libram unam.

In crucibulo trigono, triplo capaciori medias inter prunas collocato, & tegula cooperto funditur: fluens igne incitato folle & ablato operculo, luculentam viridis coloris flammulam concipiet: tum aliud crucibulum æque magnum ejusdem figuræ, inversum priori eum in modum imponatur, ut tres anguli inferioris crucibuli pateant, ac ita liber concedatur aëri accessus: ardens metallum elevabit flores candidos, levissimos partim cavitati superioris crucibuli, partim lateribus inferioris sese affigentes, partim etiam hærentes in superficie Zinci; tum remoto superiori crucibulo flores cochleari ferreo leniter exi-

mantur, & in patina figulina nitida collocentur. Denique crucibulorum apparatu iterum restituto, ut antea factum est, idem labor repetatur, donec totum Zincum in flores conversum fuerit.

In eximendis hisce floribus superficies Zinci fluentis plerumque tangitur spathula; quod quidem necessario requiritur, cum nisi fiat semper maneat ZINCUM in statu fluiditatis in crucibulo sine inflammatione & conversione in flores. Per contactum autem superficiei ope spathulæ zincum ardere iterum incipit, & oritur æqualis copia calcis lanuginosæ. Inflammatio vero & ortus calcis Zinci tamdiu continuatur, donec tota copia Zinci in ejusmodi calcem mutata fuerit.

Flores Zinci summa quoque cautione auferendi sunt e crucibulo, ne ab inflammato metallo quidpiam transeat in flores. Cæterum in hac operatione caveat operator, ne fumum excipiat, nempe qui nocere posset ejus saluti. Cæterum ab eorum usu multum timendum non est, ut aliqui verentur; cum verissimum quidem sit, aliquando inde orta quidem fuisse incommoda non exigua, sed ego opinor ejusmodi incommoda tribuenda magis esse pessimæ qualitati metalli, utpote mixti cum alio noxio metallo, sicut reapse aliquando invenitur, quam noxiæ florum naturæ.

Quod si flores satis albi non appareant, per exiguas portiones injici poterunt successive in aliud crucibulum candens & calcinari, donec debitam albedinem acquirant.

Flores demum collecti immittantur aquæ, ut abluantur; si quid enim forsitan Zinci adhuc incombusti commixtum sit, hoc in fundo vasis remanebit, interea dum calx Zinci agitata cum aqua

& panno laneo percolata, postquam aqua defluxerit, hærebit in panni superficie, quæ deinde colligi debet & exsiccari ad umbram, & in vasis vitreis rite clausis collocari.

Interne fere semper præscribuntur flores Zinci in pulvere cum saccharo, vel cum magnesia in pueris ab una quarta unius grani parte ad dimidium, una, duabus vel tribus vicibus in diem; in adultis ab uno grano ad sex, decem & usque ad viginti, caute tamen præscriptis & divisim, cum aliquando si incaute, maxime in dosi, præscribantur, nauseam & vomitum aliaque simptomata excitare possint; ut propterea dosim minui necesse sit, ubi pro aliqua circumstantia similes effectus producant.

Non raro Zinci flores adhibentur etiam externe a dimidio scrupuli usque ad drachmam, interdum in aqua soluti ad instar collirii, sed sæpius sub unguenti forma ope adipis; interdum vero adhibetur simplex pulvis ad conspergenda diversa ulcera, aut alios partium corporis morbos. Adduntur etiam quibusdam unguentis.

Quidam anglicus medicus existimat tam pro internis quam pro externis usibus longe utilius prodesse usum calcis Zinci, quæ a vitriolo albo ope alicujus alcali præcipitata fuerit, quam calcem Zinci prædictam. Ego tamen nostram semper præferrem ut magis innocuam & simplicem, magisque a periculo remotam.

Observatum fuit, hanc etiam præparationem adulterari consuevisse per mixturam cretæ, aut ostrearum calcinatarum, aut magnesiæ. Generatim an commixta sit alicui terræ absorbenti, dignosci potest ab effervescentia, quæ in hisce ca-

sibus oritur ab actione acidorum, cum passim ad adulterationem adhibeantur terræ in statu carbonatum; detegi etiam potest an præparatio contineat prædictas terras, excepta magnesia, tum etiam ad eas detegendas, quamvis in ipsa existerent terræ acido carbonico destitutæ, per hoc experimentum. Digerantur in parva portione acidi nitrici flores Zinci, de quibus dubium est. Liquor deinceps filtratur, eidemque adduntur aliquæ guttæ acidi vitriolici. Ubi flores Zinci nullius generis calcem contineant, nulla oritur liquidi perturbatio. Ex adverso præcipitatum album, quod in vero gypso consistit, oriri videtur. An vero magnesia commixta sit, id alia ratione cognoscitur. Flores Zinci cum acido nitrico digerantur eo modo, quem diximus: si loco acidi vitriolici addatur filtrato liquori aliqua gutta spiritus salis ammoniaci caustici, sive ammoniacæ puræ; continuo conspicitur alba nubecula aliquid magnesiæ continens, ubi vero nihil magnesiæ sit, immutatus liquor permanet.

Denique flores Zinci, qui necessaria albedine instructi sint, non obtinentur nisi a Zinco ex Ostindia, quod optimum est, vel ex Indiis Orientalibus, cum illi; qui habentur a Zinco Goslariensi, sint flavi ob plumbum fortasse, quod in Zinco continetur. Generatim autem cognoscitur flores Zinci bene paratos esse & haustos ex Zinco genuino, cum ipsi se produnt in calce alba, levi, subtili, insipida, inodora, acquirente colorem in igne flagrante flavum, frigefacta vero iterum acquirente albedinem, nec cum acidis effervescente;

HEPAR SULPHURIS seu *sulphuretum potassae*.

Rec. Sulphuris citrin. pul. unc. unam.
Salis tartari alcalin. unc. duas.

Simul mixta in crucibulo ponantur, ut sufficienti ignis gradu fluant; caveatur tamen, ne massa accendatur. Hæc probe unita, dum scilicet colorem hepaticum nacta est, odoremque ovi putridi spirat, auferatur e crucibulo, ab eoque exempta & frigefacta continuo collocetur in vitro accurate claudendo.

Hoc remedium interne præscribitur a sex granis ad viginti ad dimidium drachmæ & etiam interdum ad quatuor drachmas in diem. Sed raro contingit ægrum etiamsi bono, ac forti stomacho instructus sit, prædictam dosim tolerare posse, quin vomitus excitetur; quo in casu aut minuenda dosis est, aut prorsus usus intermittendus. Hoc remedii genus nunquam præscribendum esset in pilulis vel in pulvere, cum ejus indolis sit, ut ab aëris contactu facile liquefiat, & alteretur. Attamen ob ipsius qualitatem summe nauseosam, fœtidam, & molestam, quam acquirit speciatim solutum, expedit passim illud adhiberi sub dictis formis, scilicet in pulvere in nubeculis suscipiendo, aut in pillulis nubecula pariter involvendis, ut minori incommodo ab ægro deglutiantur. Observandum tamen illud est, sive sub una, sive sub alia forma præscribatur, præsertim autem in pulvere, præscribendam esse per singulas vices eam tantum portionem, quam continuo ægrotus sumere debeat. Cæterum ubi promptior effectus desi-

deretur, semper oportet illud solutum præscribi, nihil obstante ejus sapore ingrato & molesto, quem maxime sub hac forma habere solet, idque magis necessarium, cum præscribendum esset in venenis sumtis corrosivis metallicis, ut in arsenico, mercurio sublimato corrosivo &c., quem in usum hoc remedium magis prodest, quam simplex sulphur. Nitendum vero est, ut cum solutum præscribitur, ipsius sapor maxime ingratus mitigetur per additionem alicujus syrupi, vel mellis vel sacchari, aut alterius substantiæ.

Nostrum sulphuris hepar explere vices potest HEPATIS *Hahnemanni* nuper ab eo commendati ad cohibendam incommodam salivæ emissionem, quæ subsequitur mercuriales curationes. Cum primum invaluit hujus remedii usus, idem & ipse experiri volui, atque hæc, quæ sequuntur, mihi contigit observare. Deprehendi sane ab eo manasse optimos effectus in tribus speciatim casibus, in quibus non valuerunt alia remedia: sed simul etiam cognovi hoc remedium non habere constantem & certam actionem. Sex quoque observationes, quæ hujus remedii usui maxime favent, egregius doctor *Volpius* vulgavit. Attamen si observationibus adhæreamus aliorum illustrium practicorum, ut sunt *Moscatus* & *Palletta*, dicere cogimur hoc remedium nullam fidem mereri, cum ipsi testentur se inutiliter eodem usos esse, idemque testetur etiam Doctor Aloysius *Frank*. Ut ut res sit, illud est certum, in simili casu ex æquo operari hepatem sulphuris nostrum, ac operetur HEPAR *Hahnemanni*. Cum vero præscribitur

hepar sulphuris ad cohibendam salivæ emissionem, post illius usum singulis vicibus sumendus est potus aquæ satis acidæ; cui in re nostra inservire potest acetum; in eum finem, ut GAS HEPATICUM explicetur, a quo dictus *Hahnemannus* effectum, de quo agitur, pendere arbitratur.

At ego observavi in hunc usum, & ubi agitur de sumtis venenis, utiliorem esse usum AQUÆ GAS HEPATICI, quam si hepar sulphuris adhibeatur. Hac ratione usus omittitur potionum acidarum, cum præscribitur ad continendam salivæ copiam in prædictis casibus.

Ut vero frenetur hæc salivæ emissio, quæ oritur ab usu remediorum mercurialium, magis expedit juxta observationes & experimenta cl. *Hunteri* aliorumque recentiorum, usus collutoriorum, vel liquorum ore tenendorum stimulantium, ut in re nostra esse posset decoctio quercus, aut salicis, aut duarum istarum decoctionum conjunctio, vel aliæ similes nunc solæ; nunc cum additione alicujus dosis laudani liqui.. In hisce casibus maximo cum fructu se adhibuisse testatur excellens medicus *Borda* spiritum vini aqua diluti. Postremo observatione constitit & proposita fuit tanquam remedium multum efficax ac tutum pro cohibenda dictæ salivæ abundantia mutatio præparationis mercurialis in ægroto. Creditur hoc modo accelerari præterea ægri valetudinem. Illud est certum hunc usum exequendum esse caute & attente pro gradibus vis & energiæ indolisque diversarum præparationum. In hanc rem varias ob-

servationes collegit Professor *Brera* in opusculo a se edito.

Sed ut redeamus ad hepatem sulphuris, moneo præterea cum maxima utilitate in pluribus morbis etiam externe adhiberi solutum in aqua, tam in ablutione, quam in balneo. Ipsum solum in aqua solutum BALNEUM HEPATICUM constituit, sive BALNEUM SULPHURIS ARTIFICIALE valde proficuum; uncia hepatis sufficere potest pro quolibet balneo.

Alium pariter utilissimum usum habet. Inservit scilicet arte parandis adeo utilibus AQUIS HEPATICIS, quæ naturalium vim imitantur, quæ tamquam optima medicamenta potu sumendæ præscribuntur, & adhibentur etiam externe in ablutione, vel balneis, & tanquam præterea chymicum criterium. In eo vero sita est operatio, ut aqua repleatur *gas* HEPATICO sive *gas hydrogenio sulphurato*, quod obtinetur ope acidi muriatici, & hujus defectu ope acidi vitriolici diluti cum aqua super hepatem sulphuris affusi; tum gas explicatur, quod opportuno apparatu colligitur & combinatur cum aqua; sed illud est observandum pro quolibet usu, quo adhibeatur, oportere ipsam toties parari, quoties est adhibenda, cum ipsa parata ultra diem non duret & ea præterea cautione, ut protegatur a contactu aeris atmospherici.

Indicia præcipua bonitatis hepatis sulphuris hæc sunt. Melius est illud, quod habet magis rubeum colorem; quod ovi putridi odorem redolet & cujus odor augetur si hepar in aqua solvatur; in aqua vero plane solubile est, & in aqua solutum minime in colorem lacteum solu-

ione mutatur; ita ut solutio maneat clara & de-
æcata, & quod demum per trituram colorem
icquirit flavum.

Cum hoc præparatum tam facile ad con-
actum aeris communis alteretur, satis incul-
ari non potest maxima diligentia, qua uten-
um est in eo custodiendo rite clauso; qua ni-
il obstante tutius semper erit sæpius, quantum
eri possit, illud parari.

APIS CAUSTICUS seu *potassa fusa.*

ec. Lixivii caustici quantum placet.

Destillatur in retorta vitrea donec consi-
entiam pultis acquirat. Tum in crucibulo rite
olito immittitur ignique exponitur, ut evapo-
tio perficiatur. Sub initium ebullit & expli-
it aliquas aëris bullas, deinde quiescit & sub-
idet. Tum tempus est affundendi salinam mas-
m super laminam ferream prius calefactam,
dum adhuc calet, scinditur in fragmenta va-
æ magnitudinis, sollicite vase vitreo & probe
turato occludenda. Quo diutius materia ad
nem fluxit, eo solidiorem densitatem sibi com-
rat.

Hæc præparatio generatim dici potest usi-
s chirurgicis destinata; eaque applicatur in
riæ magnitudinis fragmentis pro variis cir-
mstantiis, ubi conficiendum sit cauterium.
luta in aqua proposita fuit pro remedio ap-
icando adversus morsus illatos a rabidis ani-
alibus. Solet etiam in aqua soluta laudari
o injectionibus adhibenda, caute tamen, & in

dosi duorum granorum ad sex pro singulis sex unciis aquæ, quæ dosis augeri interdum potest, prout casus postulat magis minusve validam solutionem. Cæterum dosis semper est ea minor, quæ præscribitur pro solutione adhibenda in morsibus animalium rabidorum. Sed in hoc hydrophobiæ morbo etiam interne præscripta est in dosi quatuor granorum usque ad sex grana soluta in duabus vel quatuor unciis aquæ repetenda ter, vel quater in diem.

Opus est autem a pharmacopola hoc remedium distribui in vasis bene clausis satis accurato epistomio; ubi vero soluta adbibeatur, utendum esse pro solutione aqua destillata:

LAPIS INFERNALIS seu *nitras argenti fusus.*

Rec. Argenti probe cupellati limati quantum placet.

Dissolvatur in acidi nitrici purissimi s. q. Solutio filtrata leni calore ad siccitatem usque evaporetur. Sal hoc acquisitum & exsiccatum ampliori crucibulo immittatur & igne leni fundatur, caveaturque, ne aliquod corpus combustibile in ipsum cadat. Materies primo tumet & vapores profunde rubros emittit; sub horum vero emissione iterum subsidebit, & deinde quiete fluet & sine vaporibus ad instar olei nigri. Hæc postea effundatur in modulos ferreos cilindricos & prius calefactos oleo illitos. Frigore concreta massa eximatur, quæ nigra & compacta esse debet; alioquin iterum liquefacienda in crucibulo & effundenda, & ubi res

bene cesserit, extrahatur e tabulis, in quibus concreta est, longis in frustis, atque hæc ipsa caute in frusta ejus longitudinis dividantur, quæ postulatur, & servetur in vase bene clauso adversus aëris injurias.

Notum jam est lapidem hunc pro solis externis usibus adhiberi ut potentissimum omnium escharoticorum, ac partes corporis tangi vel per ipsum solum, caute tamen, nec nisi chirurgi manu, vel adhiberi solutum in aqua destillata: Sub qua forma eo uti possumus eodem prorsus exitu, ubi BUTYRUM ANTIMONII adhibeatur. Cum adhibetur solutus ad exsiccanda ulcera & fistulas ac vel ipsam fistulam lacrimalem, dosis excedere non debet ab aliquibus granis ad dimidium drachmæ pro octo unciis aquæ destillatæ. Aggressi sunt aliqui ipsum præscribere etiam interne. At prudentius videtur ab usu ipsius interno abstinere.

Lapis infernalis granorum triginta quinque, continere debet acidi nitri grana duodecim, & argenti grana viginti tria. Is applicatus parti animali crustam albam continuo excitare debet; esse debet lapis coloris incano-fusci vel fusconigri, leniter fragilis, & interne texturæ radiatæ, cujus radii ad centrum se se convergant. Lapis infernalis, qui externe sit tantum incanus, & difficile fragilis, sine interna illa radiata textura, plerumque est inefficax. Nimium enim acidum amisit, & in præparatione nimis diu in fluxu mansit. Aeque vitiosus est ille, qui habet colorem viridem & humescit in aëre; habet enim exiguam vim corrosivam, redditque pejoris qualitatis vulnera, quibus applicatur.

Prodit autem se paratum plerumque ex argento cuprum continente, quæ mixtura vel potius fraus mox apparet, si addatur spiritus salis ammoniaci, & subito acquiratur ab ipso color viridis cœlestis. In dissolutione argenti, ut etiam in aliorum plurimorum metallorum dissolutione, spectàta celeritate, qua fit dissolutio, & magna gas nitrosi copia, quæ se explicat, quædam cautiones adhibendæ sunt, sine quibus facile amitti potest dissolutionis copia, atque propterea plus minusve damni, cum præparatio dispendiosa sit, haberi potest. Quare ut id caveatur, non solum acido non concentrato utendum est, sed ita operatio instituenda est, ut acido paulatim argentum addatur, nec nova argenti copia super infundatur, nisi prior, quæ injecta fuerat, dissoluta fuerit; ac ita progrediendum, donec acidum renuat argentum solvere, seu quod idem est, donec habita fuerit solutio, ut dicitur, saturata.

LIMATURA MARTIS PRÆPARATA seu ALCOHOLISATA, s. CHALYBIS PRÆPARATIO, s. ÆTHIOPS MARTIALIS s. *Oxydum ferri nigrum.*

Limatura ferri aëri libero exposita sæpius irroretur aqua & agitetur donec exesa fuerit in rubiginem, deinde exsiccata in pulvisculum subigatur, uti de antimonio crudo dictum fuit. Sic calx sive CROCUM MARTIS paratum cum oleo olivarum vel alio quocumque in massam commisceatur, & imitatur crucibulo. Operculo aptato, lutoque simplicis cretæ conjuncto sub-

ministretur ignis, sensimque augeatur, donec fumus nigricans ex luto non amplius exeat. Denique materies frigefacta leviter teratur & in vase vitreo bene obturato reponatur, & ab aëre & ab humiditate protegatur, ne rubiginem contrahat.

Ferrum sic paratum iterum attrahitur a magnete & in acidis dissolvitur & ad maximam ac necessariam subtilitatem deductus reperitur, tutioresque sumus illud non esse alicui acido vel alcali commixtum. Qua de re certi esse non possumus, ubi adhiberetur calx sive oxydum præcipitatum a sulphate ferri cum alcali, quæcumque demum diligentia in eo abluendo impenderetur, vel ubi alius processus adhiberetur.

Interne præscribitur maximo cum fructu a quinque granis ad scrupulum unum & usque ad unam drachmam tam in simplici pulvere conjuncto cum aliquo constituente, uti cum saccharo, pulvere liquiritiæ, magnesia &c. aut cum remediis aromaticis, quam in bolis, aut additum alicui electuario. Si cum exhibetur in bolis aut pillulis, in his vel illis conficiendis adhibeatur extractum amarum, oriuntur PILLULÆ MARTIALES SYDENHAMI. Cum vero in pulvere præscribitur, id est exequendum, quod diximus de præscriptione ÆTHIOPIS MINERALIS.

In præscriptione hujus remedii, ubi præsertim per aliquam hebdomadam, quod sæpius fieri expedit, continuandus sit usus, oportet illud conjungere cum amaris, aromaticis, aut spirituosis remediis ex. c. cum china, aut alio chinæ succedaneo, anisi, elæosaccharo &c., cum

sine hac cautione sæpe stomachum vexet, reddatque difficilem digestionem. Huc revocari possunt quæ dixi in opusculo CHINÆ LUTEÆ pag. 16. 17. Expedit quoque usum hujus remedii ab exigua dosi inchoare: dosis autem, quæ præscribitur, per vices seu divisim sumenda est. Nam doses per vices exiguæ maxime in continuato usu semper præstant largioribus. Hisce cautionibus diversa incommoda caventur, quæ oriuntur ab usu istius remedii, quod certe efficacissimum est, ubi rite administretur.

Sub usu ejusdem remedii interdum urina ægrotorum conspicuum nigrum colorem accipit ab acido stiptico seu gallaceo. Hunc nigrum colorem interdum exhibent vel ipsa excrementa. Hos duos FERRI effectus ipsemet non semel, sed pluries deprehendi, qui effectus ab aliquibus spectantur ut fausta indicia boni exitus actionis ferri.

LIQUOR ANODINUS MINERALIS. *Hoffmanni* seu *Aether sulphuricus alcoholisatus*.

Liquor anodinus non consistit nisi in solutione aetheris in alcohole: hinc ex tempore paratur hic liquor, si Aether vitriolicus cum dupla parte alcoholis vini misceatur. Hoc modo acquiritur liquor anodinus ejusdem semper perfectionis & efficaciæ.

Præscribitur vero ut solet AETHER VITRIOLICUS.

Pharmacopolæ qui pro variis circumstantiis, in quibus versari possunt, sibi comparare

ab aliis coguntur chemicas præparationes, abstinere deberent ab emtione liquoris anodini, & cum ipsi hujus præparati opus haberent, satis esset eos emere ætherem & per se ipsos ipsum diluere cum alcohole, cum operatio sit admodum brevis & a quolibet facile exequenda. Hic enim habebunt ipsi liquorem anodinum certo & semper constantem vi sua & bonitate, cum alioquin valde differre possit in his qualitatibus liquor anodinus ab aliis comparatus.

LIQUOR CORNU CERVI TEREBINTHINATUS seu

Terebinthinas ammoniacalis Cornu Cervi.

Rec. Acidi Terebinthinæ.
Aquæ destillatæ an. unc. sex.

Misceatur & in vitreum vas satis amplum immittatur & addatur paulatim, vas subinde caute agitando, salis Cornu Cervi sufficiens quantitas ad perfectam saturationem. Liquor deinde balneo arenæ digeratur per aliquod tempus calore lenissimo, & postquam refriguerit, exploretur an satis saturus sit & nisi perfecte sit saturus, addatur quidpiam illius principii, cujus opus habet ad perfectam saturationem. Bene saturus filtretur liquor per chartam super infundibulum vitreum, charta vero, qua utendum est, antea madefieri debet aqua: ut transitum oleo prohibeat quod explicatur a sale Cornu Cervi, ac tum pro usibus asservatur.

Hoc remedii genus usitatissimum est & inter ea efficacissimum, quæ chymia medicinæ

suppeditat. Interne in pueris præscribitur a quinque guttis ad viginti; & in adultis a quindecim ad triginta guttas, ad duos scrupulos, & usque ad duas drachmas aut simpliciter cum aliquo vehiculo pro circumstantiis opportuno, aut additum aliquibus mixturis. Sæpe præscribitur etiam cum aliis remediis, ac tum sæpe utilius evadit, ut cum laudano liquido, aethere, liquore anodino &c. & cum liquori anodino additur, mixtio æquivalere potest liquori arthritico *Elleri*. Si fortior liquor desideretur, facile paratur, si minori aquæ copia diluatur acidum terebinthinæ.

Liquor Cornu Cervi Terebinthinatus, qui aliud non est nisi sal neutrum solutum, excellens remedium est, quod in curatione præsertim pauperum substitui potest LIQUORI C. C. SUCCINATO seu liquori parato cum ACIDO SUCCINI loco acidi terebinthinæ. Multa argumenta, quæ fortasse simul collecta, si per otium licuerit, vulgabo, me cogunt ad credendum ACIDUM TEREBINTHINÆ multum analogiæ habere cum ACIDO SUCCINI, atque ex ipsa praxi evidenter deprehendi liquorem Cornu Cervi paratum cum acido terebinthinæ diverso modo non agere, immo eandem efficaciam habere cum liquore parato cum acido succini. Quod quidem non solum testatum faciunt plures observationes, quas ipsemet per usum hujus remedii feci, sed aliæ quoque, quæ me instigante, habitæ sunt a peritis medicis omnique fide dignissimis. Quæ sane omnia comprobant hujus succedanei remedii utilitatem, cum ex una parte vilissimi pretii sit ratione habita præparati cum

acido succini, ideoque pro pauperibus speciatim valde opportunum, ex altera parte habent medici in promtu remedium satis efficax & satis tutum, cum absit periculum, ne ipsum adulteratum sit, quod non raro contingit in præparato cum acido succini.

Acidum terebinthinæ facile & sine dispendio obtinetur eo ipso tempore, quo destillatur OLEUM TEREBINTHINÆ, ac tum appellatur communiori vocabulo PHLEGMA TEREBINTHINÆ.

Hunc liquorem paratum cum acido Terebinthinæ loco acidi succini præferendum esse censeo etiam liquori præparato processu *Loewii*, quamvis vel ipsi *Pipenbring*, *Goettling* & *Dollfus* hunc maxime commendarint. Puto enim nostrum multo præstantiorem esse, easque dotes omnes habere, quæ requiruntur, ut vices vere expleat præparati cum acido succini.

Color demum liquoris cornu cervi succinati esse debet jucunde aureus, non fuscus; hoc enim indicium esset nimium salis C. C. in eo reperiri. Quod quidem criterium inservit etiam pro nostro liquore parato cum acido terebinthinæ.

LIXIVIUM CAUSTICUM, seu *potassa fluida.*

Rec. Calcis vivæ libram unam; super infunde paulatim aquæ destillatæ libras sex; adde vero ebullitione cessante salis tartari alcalini uncias sex. Coquantur in hebete ferreo, donec lixivium pennam anserinam eidem immissam rolat; tum massa diluatur cum sufficienti aquæ destillatæ copia & filtretur. Residuum, quod su-

per filtrum manet, ebullitioni exponatur duabus vel tribus vicibus, donec omni salē careat, quod in se continebat, ope aquæ puræ, & singulis vicibus liquor filtretur. Singula vero lixivia simul juncta per destillationem in retorta vitrea super ignem concentrentur.

Nullius vel pene nullius usus hic liquor est apud medicos & chirurgos, sed potius destinatus videtur præparationi LAPIDIS CAUSTICI, SULPHURIS AURATI ANTIMONII &c. Quibus in usibus semper expediet eo tempore parari, quo utendum eo est.

Verum equidem est, per hunc processum, qui propositus est, lixivium complecti posse non exiguam copiam calcis ob magnam aquæ copiam impensam & ob iteratas ebullitiones. Sed cum ex altera parte sit verum, calcem, quæ contineri potest, facile per concentrationem, cujus memini, deponi ac inde separari, nihil obest hæc difficultas adversus processum a nobis propositum. Ex hoc vero ea quoque utilitas oritur, ut totum ex calce alcali extrahi possit, quod non obtinetur per alios processus, quos alii cæteroquin sapienter & docte proposuerunt.

Cæterum cum in omni processu, qui instituitur, interdum contingat, ut lixivium non careat omni prorsus aëre fixo sive acido carbonico, nec interdum omni prorsus portione calcis in solutione, hinc juvant criteria ac media pro impuritatibus hisce agnoscendis, ac ab iis pro liberando lixivio, quæ sunt, quæ sequuntur. Si fiat effervescentia cum acidis (abstine tamen ab usu acidi sulphurici concentrati, ne illusio fiat) vel melius etiam si lactiginosa efficiatur & præcipite-

tur aqua calcis recenter parata, tum indicium tutum erit, lixivium non esse ab acido carbonico omnino liberum. Tum ut penitus ipsum extricetur, ebullitioni exponendum est cum nova portione calcis vel melius tantum aquæ calcis addendum, quantum opus est, ut perturbatio cesset; & liquor filtretur vel decantetur. Qui usus aquæ calcis maxime convenit, ubi lixivium non nisi exiguam quantitatem acidi carbonici contineat. Ut vero detegatur, an lixivium causticum quidpiam contineat solutæ calcis, addi debet aliqua portio solutionis salis tartari alcalini aereati sive carbonatis potassæ, ac tum nascitur liquoris perturbatio, sive præcipitatum album, utque a calce liberetur, satis est addere tantum solutionis carbonatis potassæ, quanta opus est, ut desinat perturbatio aut præcipitatio, ac denique procedendum ut supra ad decantationem vel filtrationem lixivii.

MAGNESIA ALBA AEREATA, seu *carbonas magnesiæ.*

Rec. Salis anglici amari libras duas. Solve in
Aquæ destillatæ fervidæ libr. decem.
Per chartam bibulam filtra. Tum

Rec. Sal. tartar. alcalin. libras duas. Solve in
Aquæ destillatæ libr. octo & filtra.

Solutione salium peracta sal tartari tamdiu sali anglico instillatur, donec liquor non amplius turbetur, sed clarus remaneat. Hac ratione mixti liquores omnes in vase non metallico ebul-

liant per horæ quadrantem, agitentur spathula lignea, deinde filtrentur. Tum massa alba, quæ superest, tamdiu in aqua communi ferventi abluatur, & edulcoretur, donec prorsus insipida fiat, & donec hæc aqua ab instillato aceto saturni non amplius turbetur. Exsiccetur denique pulvis & servetur ad usum.

Lixivium inter præcipitationem ortum continet TARTARUM VITRIOLATUM, quod ope crystallisationis ex decantatis aquis obtineri potest, ea tamen cautione adhibita, ut antea exploretur, an lixivium perfecte sit saturum Alioquin opus est affundi sufficientem portionem acidi sulphurici diluti.

Magnesia, quæ rite parata sit & sit genuina, hisce caracteribus insigniri debet. Esse debet pulvis levissimus, tenuissimus, albissimus, tam levis & laxæ cohærentiæ, ut digitos tangentes inquinet, nulla ignis vi in calcem vivam convertendus, effervescens vehementer cum acidis, saporis blandi seu potius nullius, purus, & plene edulcoratus; quod sequenti certissimo signo dignoscitur, si nempe color immutabilis maneat mixturæ cum RHEO. Esse debet præterea magnesia integre solubilis in acido sulphurico diluto, salemque constituere amari saporis, & facile & integre in aqua solubilem.

Præscribitur magnesia interne magno cum fructu. Hac una terra absorbente expleri vices possunt omnium ALIARUM ABSORBENTIUM, immo omnibus aliis præferri debet & in pluribus casibus vel ipsis ALCALIBUS. Hujus vero prærogativæ super alias absorbentes terras, nec raro super ipsa alcalia rationes sunt potissimum hæ

ino, quæ sequuntur. Nam primo magnesia nulum vel exiguum pondus affert ventriculo, nullaque secum trahit ex iis incommodis, quæ oriunur ab aliis terris absorbentibus. Qua in re lectu unt dignæ inter cæteras observationes, quas reert *Baldingerius* in PHARMACOPEA EDIMURGENSI CUM ADDITAMENTIS BREMÆ 784 p. 323. 24. Immo magnesia facillime solitur ab acidis, quæ sunt in primis viis, quod um fit, ea quoque utilitas obtinetur, ut dum ausa removetur plurium malorum effectuum, simul ipsa in salem abeat, qui alvum blande, tuo, absque omni æstuatione relaxat, ut propterea acescens saburra non infringatur modo, sed etiam odem remedio evacuetur; quod frequentius mulum prodest. Quæ sane utilitas ab aliis terris bsorbentibus non habetur, sed potius gravamen, tomachique molestia. Altera ratio hæc est. Non arvi interest, in pluribus casibus magnesiam calinatam magis, quam aereatam adhiberi, ut diam postea; atqui in his uti non possumus absue periculo creta aliisque terris absorbentibus, um magnesia licet calcinata nullam acrimoniam cquirat, acrimoniam vero acquirat creta & aliæ rædictæ terræ calcinatæ, sive acido carbonico estitutæ, quæ propterea adhiberi nequeunt sine ericulo; idemque dicendum de salibus ipsis alalinis in statu caustico, nisi saltem adhibeanur in minima dosi & circumspecte, cum nimis austici illi efficiantur, ob jacturam quam faiunt, acidi carbonici.

Magnesia æreata præscribitur dosi unius crupuli ad duos ad unam drachmam, & usque d tres. Ab aliquibus usque ad drachmas sex

præscripta fuit. At ego censeo dosim hanc magnam absque utilitate præscribi; immo cum inutili dispendio, inutilique ægroti molestia, cum pro certo habeam non solum opus non esse hujus postremæ dosis, sed nec dosis quidem, quæ unam drachmam excedat. Siquidem deprehendi hanc magnesiæ copiam posse in salem neutrum convertere magnam acidi copiam, ubi agatur de acidis analogiam ad illud habentibus, quod in primis viis liberum existere potest: generatim enim non videtur posse contingere, ut major acidi quantitas ibidem contineatur, quæ majorem dosim una drachma jam dicta postulare possit. Ex quo fit, ut si majori quam opus sit dosi præscribatur, non solum hæc dosis inutilis fiat; sed esse possit etiam stomacho incommoda. Ipsa præscribitur interdum mixta cum aliquo vehiculo, sed communius in pulvere. Quin & sola adhibetur & aliis remediis conjuncta præsertim tonicis seu stimulantibus. Id quod in aliquibus circumstantiis multam affert utilitatem, præsertim ubi aciditas veluti effectus profluat a nimia sentiendi vi nervosa, vel ab imbecillitate.

In usibus medicis ea magnesia semper est adhibenda, quæ ex SALE AMARO præcipitata fuerit, nunquam illa, quæ in commercio invenitur sub nomine PULVERIS, ut ajunt CATHOLICÆ, seu MAGNESIÆ NITRI, cum ista sit fere semper impura; ut ipsemet sæpius deprehendi variis experimentis circa pulveres istos, qui in commercio inveniuntur sub dictis vocabulis. Hinc pharmacopolæ, qui magnesiam ab aliis emere coguntur, certiores sint oportet ipsius puritatis, cum possit contingere, ut ipsa ob plures substan-

tias heterogeneas impura sit. Frequentior est ipsius impuritas ex calcis mixtione, ex qua mali quidam effectus derivari possunt, præsertim ubi magnesia calcinata fuerit. Quare maxima diligentia impendi debet in explorando, an magnesia quidpiam calcis contineat. Id quod dignoscitur, quia licet magnesia maxima diligentia abluta fuerit, attamen si calcinetur, primo trita cum Rheo, mixtura fit rubea; secundo aquæ communicat lixivii saporem; cum aqua calcem solvat, quæ in magnesia continebatur; tertio aqua digesta in magnesia pariter calcinata licet filtretur, turbida efficitur ex solutione salis tartari alcalini aereati; quarto eadem trita cum sale ammoniaco odorem ammoniacalem exhalat. Denique ubi magnesia tam calcinata, quam non calcinata soluta fuerit in acido nitrico, acidum sulphuricum additum solutioni filtratæ in paucis guttis album sedimentum producit. Hæc sunt præcipua, magisque obvia tentamina, quæ ubique & a quolibet fieri possunt, & satis idonea ad explorandam calcis mixturam.

Sed cum magnesia aliorum corporum impuritates habere possit, & præsertim GYPSI & TERRÆ SELCIOSÆ, ut non semel, sed bis ipsemet reperii in magnesia promercali, ad has quoque impuritates attentio converti debet. Ad has detegendas ut viam faciliorem, ac pleniorem sectemur, uti possumus acido sulphurico multum aqua diluto; hoc enim magnesiam solvit; residuum post se relinquit, quod si bene abluatur, & super prunas calcinetur, gypsum ostendit, si odorem sulphuris exhalet; alioquin maxima pro-

babilitate suspicari possumus, inesse terram selciosam.

Ea quoque magnesia, quæ hauritur ex sale amaro, ut vere pura hauriri possit, postulat usum salis certo purissimi, tum etiam usum aquæ destillatæ in ejus præparatione.

MAGNESIA CALCINATA, seu CAUSTICA, seu *pura.*

Hæc efficitur, si magnesia alba aereata in crucibulo igne fortiori tamdiu calcinetur, magnaque dexteritate sæpius moveatur, donec ab igne per duas horas rubescat fundum crucibuli, & cum acidis non effervescat, ea tamen cautione adhibita, ut usus non fiat acidi vitriolici concentrati, cum facile oriri posset illusio. Cum vero satis usta dignoscitur, in vitro probe clauso servetur.

Hoc modo magnesia ab aëre fixo & aqua liberatur; qua tamen in operatione plerumque ponderis sui tres partes amittit, & grana quadraginta quinque magnesiæ calcinatæ eumdem pariunt effectum in absorbendis primarum viarum acidis, quem parerent grana centum consuetæ magnesiæ. Curandum est tamen, ut in vasis probe clausis servetur, cum ipsa facile iterum attrahat humiditatem & aërem fixum.

Interne in infantibus præscribitur a duobus granis ad decem, & usque ad quindecim pro ætate varia, variisque circumstantiis. In adultis vero a decem granis usque ad quatuor scrupulos. Cæterum in hujus magnesiæ usu eadem monita servanda sunt, quæ circa dosim exhibui in præ-

scriptione magnesiæ aereatæ. Eadem ergo ratione iisdemque regulis utraque magnesia subministratur. Id unum monendum, ut cum calcinata exhibetur mixta cum aqua, non aqua communi, sed destillata utamur, ut sic dubium vitetur, ne quidpiam aëris fixi communicari magnesiæ possit. Pro infantibus præscribitur juncta saccharo, seminibus anisi, aut syrupo rhabarbari pro vario scopo, cui ipsa destinatur. Iisdem infantibus præscribitur etiam commiscenda cum alimentis, ut corrigatur, aut caveatur aciditas, cui infantes subjacent præsertim in primis mensibus, vel tempore, quo dentes se produnt, tum etiam ratione qualitatis alimentorum, quibus ipsi nutriuntur, ut sunt lac, cibique farinacei.

Calcinata magnesia habet super alteram utilitates non paucas. Primo enim contingit non raro, adhiberi oportere magnesiam, sed simul arcere posse aëris fixi præsentiam. Quare in hoc casu valde noceret usus magnesiæ crudæ, vel aereatæ, cum ista utpote continens multum aëris fixi, qui in ejus cum acidis conflictu egressus indolem elasticam recuperat, si in primis viis hoc accidat, ventriculum atque intestina expandit, ciitque sæpe dolores, nauseam, vomitus, difficultatem respirationis, flatus, aliaque incommoda spasmodica pro vario ægrotorum temperamento, ut facile evenit præsertim in infantibus, puellis teneræ ætatis, in puerperis, in iisque, flatibus obnoxii sunt, & delicatioris temperamenti &c. Cum vero magnesia utendum est, aër fixus absorbeatur, qui magna copia se exhalat in eorum stomacho, qui pro cibo uti solent seminibus leguminosis, vel substantiis ma-

teria saccharina abundantibus, vel eorum, qui hypochondriasi laborant, aut vitam inertem ducunt, ut ea incommoda vitentur, vel reparentur, quæ ab illo aëre oriri solent & communius flatulenta appellantur, maximæ utilitatis erit usus calcinatæ magnesiæ, quæ propterea semper erit præferenda magnesiæ communi; immo non raro vel ipsi ammoniacæ præsertim in ægris, qui ob nimiam repugnantiam, qua remedia fastidiunt ingrati saporis, vel odoris, usum ferre non possent ammoniacæ, quæ reipsa saporem habet multum ingratum, licet diluta sit, & edulcorata. Hæc quæ de aëre monui, confirmat observatio, quam vulgavit doctor *Raymondus*, qui nempe deprehendit fluidum elasticum, a quo oritur colica flatulenta, vel timpanitidis, esse verum aërem fixum, sive gas acidum carbonicum; hinc & ipse opinatur magnesiæ calcinatæ usum esse posse in hoc casu opportunissimum. Altera quoque utilitas comparatur ab usu calcinatæ magnesiæ præ magnesia aereata, ut alias prætercam utilitates. Hæc in ea sita est, ut promptius acida absorbeat, agatque absque ullo vel minimo incommodo; quo fit, ut vel ipsi, qui ad sumendam aereatam induci non possunt, facile sese accommodent calcinatæ magnesiæ suscipiendæ. Illud quoque commodum trahitur, quod in valde minori dosi idem obtineatur effectus.

Hæc licet sint vera, is tamen non sum, ut usum magnesiæ aereatæ a medicina exulare debere contendam, cum sciam, hujus usum non raro expedire, præsertim vero ubi de ægrotis agatur, qui nec valde irritabiles, nec valde sensibiles sint, pro quibus idcirco sine ullo periculo,

eodem exitu adhiberi potest magnesia æreata. Semper autem convenit, ubi nihil sit, quod vetet, usus æreatæ magnesiæ, cum maximi dispendii esset usus magnesiæ calcinatæ, ubi indiscriminatim ad omnes & quovis in casu extenderetur. Accedit aliquando prodesse posse morbi curationi explicationem acidi carbonici, quod in magnesia communi continetur; quem in finem optime congruere potest usus ejusdem, ut nempe in ventriculo acidum carbonicum extricetur; quo tamen in casu vix sumta magnesia oportet ægrum sumere aliquam aquæ cum aceto mixtæ portionem ad instar haustus antiemetici. Quæ quidem præscriptio modo dicta magnesiæ in aliquo casu præferri potest HAUSTUI ANTIEMETICO ob eas rationes, quas antea attulimus de præstantia magnesiæ calcinatæ super ammoniacam.

MEL DESPUMATUM.

Exponitur mel purum igni, & cum attollitur & ebullit, aliqua aquæ portio affunditur, idemque iteratur cum iterum ebullit, ac similiter proceditur, donec per varias vices infusa fuerit quarta aquæ pars. Quo peracto refrigeratur, ac diligenter dividitur spuma ad superficiem evecta a residuo mellis & servatur.

De hujus usu videantur, quæ dixi in prima parte de MELLE.

Plus quam opus sit ebullire non debet, alioquin noxiam patitur alterationem, & præterea, pro paucis diebus fieri debet ejus praeparatio æstivo præsertim tempore.

MERCURIUS DULCIS, seu *Murias Hydrargyri sublimatus*.

Ad majus laboris levamen, atque ad noxium evitandum subtilem pulverem expedit uti sequenti processu. Quatuor unciæ sublimati corrosivi albi sufficienti aquæ destillatæ copia in mortario vitreo redigantur in massam, ac deinde addantur tres unciæ puri mercurii; terantur simul, donec globuli visum fugiant, & in cineraceam materiam coeant. Hac impleantur vitra potionibus medicis dicta, seu oblongæ phialæ, ne quid adhæreat parietibus, ac ita quidem ut duo, vel tres partes phialarum vacuæ supersint; ac tum massa digeratur in balneo arenæ leni calore & aucto igne unica vice sublimetur, donec mercurius plane sit elevatus in forma crystallina; ad humidi tamen expulsionem orificia vitrorum relinquantur aperta, ac tum charta convoluta claudantur. Sublimatione finita, vitra ope panni eximuntur, & deinceps panno aqua humectato involvuntur, ut commodius frangi possint. Subigitur postea materia in pulvisculum, & ad plenam convictionem, quod nihil MERCURII SUBLIMATI CORROSIVI amplius insit, superfunduntur mercurio dulci partes quædam aquæ destillatæ fervidæ, ac sic relinquuntur usque ad refrigerationem; melius quoque addi potest drachma una salis ammoniaci ad mercurii dulcis unciam unam abluendam. Sic verus mercurius dulcis obtinebitur unica sublimatione, plenaque certitudine, quod nullus sublimatus corrosivus contineatur. Demum pulvis ablutus exceptus charta bibula exsiccetur, ac servetur in

vasis vitreis a contactu radiorum solarium protectis, cum a radiis solis colorem trahat. Ad operationem multiplicandam variæ phialæ materia cineracea repletæ eodem tempore, eidemque largiori balneo committantur. Pulvis, qui reperitur elatus in collum ampullarum, confundi non debet cum massa constituente verum mercurium dulcem, qui in earum ventre suspensus adhæret. cum ille pulvis constituat speciem quamdam sublimati, ut dicitur, corrosivi.

Interne præscribitur sub formis diversis. Opportunior cæteris est forma pilularum, aut bolorum, cum aliquo extracto, roob, vel conserva. Præscribitur etiam in pulvere, sed ad cavendam facilem dentium læsionem & ob alias rationes forma pilularum aliis omnibus præferri debet. Quod si in pulvere sit præscribendus, utendum est iisdem regulis, quas dedimus in præscriptione Æthiopis mineralis, cum hic quoque ex æquo locum habeant; iisdemque de causis nec mercurius quidem dulcis unquam in solutione præsribi debet. Cum in pulvere præscribitur, conjungitur cum aliquo alio pulvere, vel tanquam simplici constituente, ut sunt Saccharum, pulvis liquiritiæ, magnesia &c. vel ad augendam etiam eodem tempore vim & efficaciam suam. Rursus unitur aliis medicamentis, quæ sub diversis formis magna utilitate, prout res exigit, præscribuntur; uti opio, chinæ, sulphuri aurato antimonii, remediis quoque laxantibus, uti jalappæ aliisque, cum remediis purgantibus addita quædam grana mercurii dulcis effectum eorum augeant; unitur quoque camphoræ &c. Ubi mixtio fiat mercurii dulcis & sulphuris aurati

antimonii, singulorum a duobus, tribus granis, & unius grani camphoræ, tunc oritur MERCURIUS dictus DIAPHORETICUS *Kleinii*, qui in pluribus morbis tantopere celebratur.

Doses autem, quibus mercurius dulcis præscribitur sunt, quæ sequuntur. Passim pueris datur, ut purgativum & antelminticum remedium ab uno grano ad octo habita ipsorum ætatis ratione. Adultis vero suppeditatur ut remedium laxativum a quinque ad duodecim grana usque ad viginti pro una vice, mixtum communius aliis ingredientibus, & fere semper laxantibus; ut alterans vero & antivenereum remedium ab uno ad grana sex, atque usque ad decem, & quidem divisim subministratur.

Mercurius dulcis interdum etiam externe præscribitur in pulvere ad quædam vulnera conspergenda; frequentius vero pro frictionibus adhibetur butyro, vel adipi conjunctus. Adhibitus est etiam aliquando unitus oleo & sali ammoniaco; qua methodo contendit cl. *Clare* eosdem effectus obtineri, qui ab unguentis mercurialibus habentur; immo asserit tria hujus pulveris grana tanta pollere vi operandi, quanta pollent quadraginta quinque grana mercurii cum adipibus mixti.

Antequam deducatur in usum conteri debet in mortario vitreo vel ligneo, illudque contrectari opus est, sub quavis demum forma exhibeatur, instrumentis ligneis, nunquam metallicis.

Mercurialia remedia vim suam specialim exerunt in systema lymphaticum & glandulare. Interdum tamen observatur, eadem agere etiam

in intestina, in renes, aliasque corporis partes: ex quo fit ut passim salivæ fluxum promoveant, & interdum modo alvum, modo urinam, & modo sudorem excitent &c. De remediis ad continendam salivæ emissionem, quæ oritur ab usu mercurialium, dictum est satis ubi de HEPATE SULPHURIS.

In usu mercurialium abstinendum semper est ægroto ab omnibus acidis, ne corrosivam indolem accipiat mercurius dulcis; tum etiam a mixtione salium neutrorum aut mediorum idem est arcendus. Cæterum aliquorum practicorum judicio mercurius nocet, ubi ab ejus usu oriatur diarrhœa, cum in hoc casu in visceribus debilitatis, & in alvo laxata mercurialia interne noceant. Quare in his circumstantiis præferri debet unctio mercurialis.

Pharmacopolæ, qui ab aliis emunt mercurium dulcem, cauti sint oportet, ut certiores fiant cum non continere aliquid sublimati corrosivi. Has igitur mercurii dulcis genuini qualitates præ oculis habeant, ut nempe mercurius in frustis adhuc magnis cum corpore duro rasus flavi coloris strias emittat, & tritus in pulverem subtilem induat colorem subluteum; expositus solaribus radiis nigrescat, ut etiam facere debet commixtus aquæ calcis & alcali fixis; nullum saporem sive metallicum, sive alterius generis sensui imprimat; nihil prorsus mercurii solvi debet in aqua, nec in spiritu vini. Ex adverso ubi mercurius contineat quidpiam sublimati corrosivi, excitat saporem peculiarem metallicum; tum spiritus vini & aqua aliquid mercurii solvit, & ubi aqua, quæ quidpiam de mercurio solverat,

misceatur cum aqua calcis, oritur præcipitatum flavi coloris, quem vel ipse mercurius acquirit, si teratur simul cum aqua calcis.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS, seu *Murias hydrargyri præcipitatus.*

Rec. Salis ammoniaci libram unam. Solvatur in aquæ destillatæ s. q. & filtretur; deinde dum sæpius vas agitatur, addatur mercurii sublimati corrosivi libra una.
Præcipitetur tunc solutio cum Alcali salis tartari in aquæ destillatæ q. s. soluto.

Sed cavendum est ne plus lixivii alcalini addatur, quàm opus sit ad præcipitationem mercurii in solutione contenti. Filtretur; deinde edulcoretur aqua frigida, donec aqua, cum qua mercurius ablutus est, ACETUM SATURNI non turbet, si eidem instilletur. Demum exsiccetur, & servetur, ut dictum fuit de mercurio dulci.

Usibus tantum externis inservit, nec communius adhibetur nisi sub unguenti forma.

Interdum miscetur nunc cum amylo, nunc cum cerussa, nunc vero cum creta Mercurius præcipitatus albus, si genuinus sit, immissus in crucibulum, & alio clausus, vel simpliciter positus in cochleari ferreo, in igne vehementi nihil post se relinquit. Ex adverso si adulteratus fuerit cum amylo, non solum levior est genuino, sed ubi fundatur, carbonem relinquit; si vero cum cerussa adulteratus sit, ubi fundatur, totus non avolat, sed pulverem dimittit, qui mixtus cum exigua olei copia, vel alterius substantiæ

combustibilis, fusa mixtura, globulum veri plumbi suppeditat: si demum adulteratus fuerit cum creta, cum aceto effervescit, & fusus pulverem relinquit, qui nullum, quocumque modo tractetur, metallicum globulum exhibet.

MERCURIUS SOLUBILIS *Moscati* s. *Oxydum hydrargyri nigrum.*

R. Mercurii dulcis pulv. unc. unam.

Ponitur in ampulla vitrea simplici, aut alio in vase, eique affunduntur tres unciæ lixivii caustici concentrati, ita ut mensura unius unciæ aquæ puræ hoc lixivio repletæ adæquet unciam unam, & drachmas tres. Ampulla super calidos cineres igni exponitur, aut satis calido arenæ balneo, igne apposito sat vehementi, & interea sæpe sæpius agitatur ampulla. Ubi sal mercurialis antea albus, crystallinus postea plane niger, pulverulentus & calciformis evaserit, id quod passim contingit minori spatio horæ dimidio, ampulla ab igne tollitur, ac sinitur frigeri, filtratur per chartam, & calx mercurialis sæpius abluta, & exsiccata servatur.

Interne adhibetur a dimidio grani ad duo usque ad quatuor pro majori, vel minori ægrorum robore mane & vespere in pilulis cum mucilagine arabica, aut aliquo extracto, & aliquo pulvere, ut pilulæ consolidentur. Minus experit hoc remedium in pulvere exhibere; atque in hoc casu misceri deberet aliis pulveribus, ut diximus de mercurio dulci. Minus etiam convenit hoc in solutione præscribere, quia in utroque

casu eædem militant rationes, quas attulimus, ubi de ÆTHIOPE. Attamen quod spectat ad præscriptionem hujus remedii in solutione, in ea sum opinione, ut credam, ubi adhibenda est SOLUTIO MERCURIALIS *Plenkii*, multum expedire usum hujus præparati loco mercurii communis magna cum utilitate & temporis parsimonia. Nam solutio parari posset ex tempore, si nempe misceatur cum aliquo vehiculo mercurius solubilis ope mucilaginis arabicæ. Hac etiam ratione major certitudo haberetur, quod mercurius præscriptus perfecte calcinatus seu oxydatus sit; quæ certitudo non semper obtineri absolute potest ab usu solutionis mercurialis *Plenkii* methodo ordinaria paratæ. Cæterum ego nunquam probare possum remediorum metallicorum administrationem in solutione ob eas, quas dixi rationes, ubi de ÆTHIOPE, cum mihi persuasum fuerit præsertim in nosocomiis nunquam haberi posse certitudinem de quantitate præparatorum metallicorum, quæ ab ægro sumatur, majoremque eorum partem, atque hinc etiam præscripti mercurii ab ægro non suscipi sed potius disperdi.

Expedit etiam hoc mercuriale remedium sæpe cum opio conjungere, cum remediis amaris, aliisque corroborantibus, aut alterius generis pro variis circumstantiis. Usus quoque simultaneus DECOCTIONIS CORTICIS MEZEREI multum influit in bonos hujus calcis effectus, ut pariter influit in bonum exitum aliorum mercurialium remediorum. In hujus remedii usu eæ regulæ observandæ sunt, quæ generatim sunt exequendæ in administratione cujusvis alterius præparatio-

nis mercurialis; speciatim vero opus est usum continuari etiam, postquam symptomata penitus disparuerint, ut solida ac stabilis valetudo obtineatur.

Adhiberi rursus potest externe cum utilitate sub unguenti forma, quod facile conficitur, si misceatur una drachma mercurii solubilis cum una adipis uncia.

Hanc mercurii præparationem utpote maxime utilem in hac pharmacopea præterire nolui. Præparatio enim mercurialis in statu puræ calcis maximi momenti est in medicina, cum ipsa ex una parte eas omnes utilitates afferat, quas pariunt præparationes mercuriales, & ex altera remotior sit a gravibus illis incommodis, quæ sæpius ægri experiuntur plus minusque ab usu aliarum præparationum, præsertim mercurialium sub forma salina, quod adeo verum est, ut passim vitetur vel ipsa incommoda salivæ effusio, vel saltem multo rarior fiat. Quæ quidem utilitates ab usu puræ calcis mercurialis manantes præ salinis præparationibus multum magis æstimari debent, ubi ágitur de curandis ægris nimiæ irritabilitatis, aut debilitatis. Cæterum dum hæc moneo, nolo propterea eos casus excludere, in quibus mercuriale remedium salinum alteri sit præferendum, ut sæpe contingit inter ejusdem classis remedia expedire unum præ altero seligi.

Vel ipsi medici etiam præteritæ ætatis tam bonam præparationis mercurialis puræ calcis opinionem habuere, ut maxime utilem reputaverint in medicina usum mercurii PRÆCIPITATI PER SE. Sed cum illius præparatio tædium, diu-

turnitatem incommodam, nec exiguum dispendium afferret, chemici ac medici sibi proposuerunt mercurio præcipitato per se aliquam subrogare præparationem, quæ ob innoxiam efficaciam suam posset alteri commode æquivalere, inter quos potissimum Cl. *Saunder*, deinde *Hahnemann* curas suas impenderunt. Nec quidem fructu caruerunt eorum tentamina, eorumque præparationes laudem apud practicos etiam celebriores meruerunt. Id tamen omnibus medicis non placuit, qui aliter censuerunt. Celeb. *Moscatus* opus explere aggressus est, ac felicem exitum habuit, cum processum aliorum chemicorum perficiens tam utilem tamque optatam præparationem exhibuit ea ratione, quam supra diximus, ut huic præparato saltem hactenus plurium medicorum judicia faverint, relatumque fuerit experimenta de eodem hactenus habita expectationi optime respondere, magisque innoxiam hujus remedii efficaciam comprobare. Hanc novam præparationem vel ab ipso auctore in usum tam internum, quam externum deductam fuisse scimus, ejusque observationes videri possunt in opusculo suo inserto volumini 4. p. 243. nel NUOVO GIORNALE DELLA PIU' RECENTE LETTERATURA MEDICO - CHIRURGICA D'EUROPA. Id ipsum experti sunt alii tam medici, quam chirurgi illustres, inter quos Doctor *Pedetti*, *Chirurgus Farina*, *Doct. Aloysius Frank*, *Professor Brera*, & ni fallor *Professor Carminati*. *Doctor* autem *Paletta* experimentum ipsius ad usus externos instituit cum fructu.

Ecce interea medicis atque chirurgis præparationem mercurialem exhibitam, quæ substi-

tui commode potest præparationi MERCURII PRÆCIPITATI PER SE, cum illa sit facilis & expeditæ operationis, exiguique dispendii & quæ multo magis præferri meretur non solum præparationi *Saunderi*, sed etiam præparationi vel ipsius *Hahnemanni*, cum hæc, præsertim postrema valde sit complicata, diuturnior, & difficilior.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS, seu *Murias oxigenatus Hydrargyri.*

Rec. Mercurii purificati,
Acidi vitrioli rectificati & fortis ana libram unam.
Salis muriatici exsiccati uncias viginti unam.

Misceatur mercurius cum acido in retorta vitrea & destilletur in balneo arenæ, donec materia exsiccata fuerit. Materia frigefacta misceatur in vase vitreo cum sale muriatico; tum in cucurbita vitrea sublimetur sensim aucto calore. Frigido fractoque apparatu eximatur sublimatum separatum a scoriis & servetur. In hac operatione caute observandæ sunt regulæ ab arte præscriptæ, ne operatio noceat operatori.

Quamvis hoc remedium vi polleat summe corrosiva, ut propterea esse queat venenorum unum teterrimum; attamen ipsum præscribitur non solum pro usibus externis, sed etiam pro internis. Cæterum quamvis etiam pro internis usibus tantopere sit celebratum, attamen prudentia docet, quantum fieri possit, ab ejus usu interno abstinendum, nec ipso utendum nisi in iis

casibus, in quibus inutiliter omnia alia opportuna remedia, quæ ars medica suggerit, antea adhibita fuerint, & indoles morbi jam fere desperati usum permitteret medicinæ ut ut periculosæ. Hoc certe remedii genus est ab expertissimis medicis summaque prudentia præditis unice præscribendum. In hisce casibus cum præscribitur, sub initium in minima ipsius dosi præscribi debet, scilicet primum ab una sexta parte unius grani, deinde caute augeatur dosis paullatim & lente, mora facta per plures dies in priori exigua dosi exhibita, & diligenter exploratis incommodis, si quæ oriantur, donec ad maximam dosim medicus perveniat, quæ duo grana non excedat in diem, sumendam tamen divisim per plures vices; uno verbo, cautiones omnes accurate sunt observandæ, quas celebriores practici inculcant, ne tristes illi effectus promanent, quos non raro maximo infortunio aliqui ægroti experti sunt ab usu hujus remedii vel ignorantia, vel nimio medicorum ausu.

Sub forma pulveris nunquam præscribitur; cum sub hac forma vel in nimia dosi, vel incaute præscriptum operetur ad instar veneni citissime necantis, cujus antidota sunt sal alcalinum, sapo, Hepar sulphuris, & generatim omnes demulcentes potiones, ut sunt oleum olivarum &c. decocta demulcentia, emulsiones, lac &c. Nunquam autem hujus remedii usus convenit ægris valde sensibilibus & debilibus, laborantibus tussi, hæmoragiis, sanguinis sputis, difficultate respirationis, vel qui ad phthisim proclives sunt, ad scorbutum &c., vel in quibus excitaret nauseam; ardorem pectoris, sitim, tormina, cardialgias &c.

Duobus vero modis interne præscribitur; ub forma pilularum cum mica panis, vel gumi arabica & aliquo syrupo, aut extracto, aut ıelle pro pilulis conficiendis, aut simpliciter ım aliquo extracto, addito aliquo pulvere ad lulas involvendas. Huc faciunt etiam, quæ cturi sumus tertia in parte de pilulis sublimati ɪrrosivi. Secundo loco præscribitur solutum aqua destillata, aut spiritu vini, ea propor- ɔne servata ut saltem sumantur vehiculi unciæ ıæ pro quolibet grano sublimati, cum pruden- ıs sit majorem vehiculi copiam, etiam usque unam libram adhibere, & edulcorare solu- ɔnem cum melle vel saccharo; & melius quo- e sit addere solutioni unciam mucilaginis gum- arabicæ. Hujus autem solutionis factæ ex a libra aquæ pro uno grano sublimati unum duo, aut plura cochlearia in diem, prout res git, ægro sumenda præbentur. Sub quavis ma detur sive in pilulis sive solutum, & qua- in dosi præscribatur, semper observanda nt monita, quæ jam dedimus. Modus admi- randi sublimatum corrosivum in spiritu debi- vini solutum, quamvis oportunior cæteris sit, nec semper congruere possit, pari ta- ı cum exitu adhiberi potest, immo alteri com- ative præferri potest, quo solutus exhibetur piritu frumenti juxta methodum Van-Swieten berrimi Medici, qui Medicorum opinionem ujus remedii favorem pertraxit, cui postea cesserunt *Richard*, *Gardane*, *Thion*, *Hoff- in*, *Bicher*, *Vogel*, *Spielman*, *Plenk*, alii- non minoris celebritatis viri. Aptior hujus edii forma est in pilulis, cum minus pericu-

losus evadat usus ipsius, agatque lentius, magisque gradatim, ea tamen diligentia servata, ut ex æquo per totam massam dividatur, ne plus sublimati corrosivi in una, quam in altera pilula vel in una ejusdem pilulæ parte, quam in altera reperiatur. Quod ut facilius obtineatur, antequam massa fiat pilularum, expedit illum solvere in aquæ ebullientis portione aut spiritus vini, eundemque postea cum massa miscere. Monent alii, quorum monitum maxime laudo, cum sublimatus ipse per se sit parum solubilis, ex altera parte maxime solubilis fiat mixtus cum aliqua copia salis ammoniaci, monent, inquam, ut cum hoc sale misceatur, ut ita facilior evadat ipsius solutio etiam in exigua fluidi quantitate. At quocumque modo sumatur, semper juvat ægrotum post sublimati sumtionem sumere decoctiones demulcentes ex. c. hordei, malvæ, althææ, vel melius bardanæ; in pluribus casibus multo utilior deprehensus est mixtus cum opio. Quod pluribus egregiis experimentis probavit celeber. *Doctor Josephus Frank* dignus clarissimi parentis filius.

Externe adhibetur solutus in aqua, aut alio vehiculo nunc per modum ablutionis, nunc injectionis, nunc gargarismi. In hisce casibus maxime sub initium adhibetur solutio facta unius sublimati grani pro una aquæ vel alterius vehiculi libra; ac sæpe expedit additio unius unciæ mucilaginis arabicæ. Interdum solutio valde fortior, & efficacior requiritur, ac tum pro qualibet aquæ uncia præscribitur dosis sublimati plus minusve usque ad duo grana, prout exigitur plus minusve fortis solutio. Hisce propor-

tionibus sublimati facta solutio commendatur etiam in curatione scabiei, caute tamen adhibita; atque in hoc casu interdum prodest conjunctio salis ammoniaci. Per hanc enim non solum aliquatenus intenditur ipsius vis, & actio, ed etiam facilior ac stabilior efficitur sublimati orrosivi solutio; quæ majori cum fructu subtitui potest vel ipsi AQUÆ, ut dicitur, PHAGÆDENICÆ. Mercurius sublimatus corrosivus ro frictionibus etiam adhibetur sub unguenti orma loco alterius unguenti mercurialis. Celeer Medicus *Cirillus* huic sublimato dignationem oncedit præ unguento ex mercurio vivo conato. Quod censent etiam alii medici iteratis *'irilli* observationibus nixi. Parabis autem unuentum, si triveris unam axungiæ porci unam per duodecim horas cum una sublimati rrosivi drachma. Utimur autem hoc unguen-, fricationibus factis sub planta pedum cum midio drachmæ usque ad duas pro qualibet ce; sed etiam sub hac forma sublimatus corsivus caute adhibendus. Sed quicumque deım sit usus sublimati corrosivi sive internus 'e externus, semper contrectari debet in mor-iis aliisque instrumentis ligneis vel vitreis sive rphyrite paratis, nunquam marmoreis vel fers, vel alterius metalli.

Cuicumque pariter usui destinetur sublima- corrosivus, semper utendum est illo, qui atur a chymicis; non autem eo, qui comrcio prostat apud aromatum mercatores; cum quando deprehensum sit in sublimato comrciali contineri aliquam portionem arsenici,

quod corpus est heterogeneum, quo sublimati puritas corrumpitur, & maxime noxium est. Hinc pharmacopolæ, qui ab aliis sublimatum emere solent, uti debent maxima diligentia, & attentione in explorando, an ille quidpiam arsenici complectatur. Hoc autem sequentibus indiciis dignoscitur; 1. si mercurius sublimatus corrosivus in solutione alcali tartari puri exhibeat præcipitatum coloris nigri, cum genuinum exhibeat colorem aurantii, idemque contingit cum aqua calcis recenter parata. Cavendum autem probe est, ne fraus quaedam oriatur, quamvis arsenicum absit, si solutio salis alcalini saturata est, & mercurius ipse antea citrinus, nigrescens præcipitatur. 2. Sublimatus genuinus prunis immissus vapores albos effundit; adulteratus virides & nigros cum odore alliaceo; 3. genuinus in spiritu vini plene solubilis est sine ullo sedimento; adulteratus relinquit arsenicum in fundo. 4. ad genuini sublimati corrosivi qualitates accedit, quod in vase clauso, apposito igne leni, plane sese attollat in altum vel perfecte sublimetur.

MERCURIUS VIVUS sive *Hydrargyrus depuratus.*

Mercurius vivus, qualis est in commercio, usibus medicis idoneus non est; pharmacopolæ enim emunctores ad pondus ipsius augendum PLUMBUM vel STANNUM, vel simul PLUMBUM & BISMUTUM admiscent, quæ viliora metalla ille solvit, & in se recipit, eadem manente fluiditate. Ut igitur mercurius vivus ob-

tineatur ab omni labe alieni metalli purus, destilletur e retorta vitrea loricata in recipiens, cui ad dimidium sit indita aqua, eo tantum adhibito calore, qui ad ejus elevationem requiratur, ne mercurius quidpiam secum in sublime rapiat; destillatione peracta, separetur ab aqua, & omnis ei adhærens humiditas linteo puro, sive charta emporetica abstergatur. Mercurius vivus sub pulveris grisei forma superficiei aquæ inhærens collectus, & in cochleari ferreo mundo expositus igni formam fluentem recuperabit.

Eo quem diximus modo mercurius satis depuratur, ut propterea pretiosiore mercurio hausto e CINNABARI opus non sit. Ea vero depuratio, qua per CORIUM tantummodo premitur, nequaquam sufficit, cum fraudulenta arte ita PLUMBUM & BISMUTUM admisceri queant, ut simul & ipsa per corium transeant, ac ita noxium mercurium efficiant potissimum usibus internis destinatum. In distillatione mercurii collum retortæ inclinari magis debet deorsum, quam fieri solet in cœteris; ne pars mercurii, quæ distortæ adhæret, oxyda fiat. Quod ut caveatur, monet celeber Professor *Brusatus*, ut distortæ collo cilinder chartaceus sex, aut septem pollicum longitudine applicetur, idemque ad tres, quatuorve lineas immergatur in aqua, quæ continetur in recipiente. Id enim cum fit, mercurius, qui magna ex parte in destillatione tanquam vapor attollitur, sub aqua condensatur, ac ita periculum arcetur, ne retortæ collum frangatur, & cum ipso fortasse etiam recipiens, ubi aliqua ejus pars in hoc incideret, id quod facile accidere posset ob immediatum, qui fieret, con-

tactum distortæ cum aqua, & ob magnum calorem, quam acquireret, & subitum affluxum aquæ frigidæ; quæ propterea ut vitentur, prædictus cylinder applicatur.

In diario Physicæ anglicano cl. *Nicholson*, an. 1788. novus processus pro Mercurio depurando insertus legitur, qui in eo positus est, ut diutius agitetur mercurius impurus in magno vase clauso, cujus sola quarta pars a mercurio occupetur, ac identidem ope follis renovetur aër, & agitatio repetatur. Hac enim ratione heterogenea metalla oxydantur, percolatur caute pars fluida, & a nigro pulvere liberatur, qui manet in vase. Hoc in prædicto diario refertur; cæterum ut hæc methodus in praxi poneretur, nunquam auctor essem, cum eam nimis longam, molestam, nec satis tutam methodum ego putem. Rursus in ea sum opinione fore, ut aliqua mercurii quantitas in hac ipsa operatione oxydationi subjaceret. Ipse enim, dum aliqua super mercurium experimenta instituerem, deprehendi, cum pari ferme methodo mercurium in aqua tractassem, quamvis mercurius, qui scopus erat observationum mearum, purissimus esset, aliquam tamen portionem ipsius factam esse pulverem cineraceum, uno verbo oxydatum.

In statu suo naturali metallico jam fere non amplius in medicina adhibetur. Utimur eo potissimum ad EMPLASTRA & varia UNGUENTA conflanda, ut etiam ad varias CHYMICAS OPERATIONES. Attamen interdum interne præscribitur extinctus cum aliquo corpore, quod morbi circumstantiis & rei exigentiæ conveniat, a sex granis, ad duodecim, viginti usque ad

imidium drachmæ. Præscriptus ab aliquibus uit sub forma pulveris nunc contritus cum sacharo, donec globuli ita dispareant ut ne armao quidem oculo conspicui sint; quæ mixtura omen habebat SACCHARI MERCURII, aut IERCURII SACCHARATI *Wedellii* & apud lios SACCHARI ANTHELMINTICI; nunc veo contritus cum magnesia ea ipsa, quam diximus, ratione; quo in casu præparatio obtineur, quæ melior est saccharo mercuriali, & noien gerit MERCURII ALCALISATI *Burton.* 'ræscribitur etiam sub pilularum forma eodem nodo extinctus, uti modo est dictum de præcriptione in pulvere, adhibito nunc aliquo exracto, nunc melle, nunc terebinthina, nunc mylo, aut gummi arabico, quæ tamen duo um aqua in densam mucilaginem redigantur; unc demum aliis corporibus pro rerum circumtantiis. Ubi adhibeatur conserva rosarum, cuus alioquin loco ex æquo adhiberi potest roob iambuci, aut alicujus extracti, tunc massa nonen præfert CONSERVÆ *Rottarii* olim magis uam ætate nostra cognitæ; si vero adhibeatur gummi arabicum, massa nomen obtinet MERCURII *Plenkii*, quæ postea dicitur vel SOLUTIO rel PILLULÆ *Plenkii*, prout massa vel solvitur rel in pilulas convertitur. Attamen remedium ioc nunquam expedit, cum sit metallicum, in olutione præscribi ob rationes alibi allatas, ubi le ÆTHIOPE, cum jam sæpe deprehenderim, juod alibi monui adhibita etiam majori quam possumus attentione in eo extinguendo, ac vel ipso adhibito gummi arabici adminiculo nunquam in liquidis plene suspensum teneri; ægro,

tumque nunquam eam præscriptam a medico mercurii portionem totam suscipere, semperque incertum manere, quanta ab ægro sumatur, cum naturali suo pondere mercurius continuo præcipitetur, atque hinc aliqua pars disperdatur sive in vase, in quo paratus fuit, sive in quo servatur, sive in quo ægroto exhibetur, sive aliis de causis. Hinc aptior præscribendi mercurium ratio est semper pilularum forma. Quod si medicus eum exhibere velit in pulvere, tum opus est, ea omnia accurate observare, quæ alibi pro usu æthiopis mineralis observanda præscripsi.

Illud quoque recolendum & accurate exequendum sub quavis forma, & ad quoslibet usus præscribatur mercurius, eum semper extingui oportere in mortariis vitreis, aut lapideis, nunquam metallicis.

NITRUM DEPURATUM sive *Nitras potassæ depuratus.*

Rec. Nitri crudi quantum lubet:
dissolvatur in
Aquæ sextupla parte :

Filtratum evaporetur ad cuticulam & in loco temperato collocetur, donec oriantur crystalli. Rursus paulisper evaporetur residuus liquor & in crystallos cogatur ; idemque labor tamdiu repetatur, quamdiu crystalli prismaticæ exurgant. Sub priori crystallisatione enatæ crystalli seponantur pro usu interno & operationibus chemicis, quæ purissimum nitrum requi-

runt. Quod si crystalli satis puræ non essent, idem qui supra, labor est repetendus. Nitrum sic depuratum a numerò depurationum, quas obiit, distingui solet, ac vulgo dicitur nitrum primæ, secundæ, tertiæ, ac ita porro depurationis.

Optimum esse arbitror, quod monent in depuratione nitri non depurati faciendum esse aliqui chymici, ut nempe dum illa perficitur, antum carbonatis potasse soluti addatur, quanum addi potest, quin aliqua turbatio existat. Hoc enim modo non solum facilius obtinetur nitri depuratio, ejusque liberatio ab omnibus alibus neutris, a terreis basibus in ipso contenis, cum hæc ope alcali resolventur, sed simul cquiritur etiam major nitri copia. De necesitate hujus methodi legi meretur commentarium *Massey*.

Ubi desideretur nitrum vere purum, & ab mnibus heterogeneis salibus liberum, seligi deent crystalli, quæ collectæ inveniantur in fluio, quod ad crystallisandum ponitur continetue nitrum tertiæ, vel melius quartæ depurationis, quæ crassiores, longiores sunt, magisque rotenduntur a basi residuæ massæ salinæ.

An vero crystalli nitri sint puræ, dignoscir, si alicui ipsarum solutarum in aqua destilata portioni addatur aliqua gutta solutionis merurii peractæ sine calore in acido nitri, nullamue perturbationem nec præcipitatum producat. itrum itaque si bene depuratum sit seu destitum sale communi & salibus pro basi terram abentibus, ut substantiis extractivis, non som perturbare non debet solutionem mercurii, :d etiam se prodere, debet in crystallis pul-

cherrimæ albedinis, longis, sexangularibus, prismaticis; idemque carbonibus ignitis injectum absque crepitatione promte deflagrans, & in aqua facile solubile esse debet, nec aëri expositum madefieri debet.'

Interne præscribitur ore sumendum a sex granis, ad duodecim, ad unum scrupulum & in maxima sua dosi ad drachmas sex in plures vices exhibitum, & juxta morem servari solitum in præscriptione majoris partis aliorum remediorum, suscipiendum infra spatium viginti quatuor horarum, sæpius solutum in aliqua decoctione, aut aliqua mixtura, vel alio vehiculo; & aliquando in pulvere, & sæpe simul cum aliis remediis. Eodem utimur etiam pro clysteribus, & in gargarismis, atque fomentationibus solutum in aptis vehiculis. Si nitrum præscribatur simul cum cremore tartari, mixtura ab aliquibus appellatur PULVIS TEMPERANS eaque efficitur cum dimidio unciæ cremoris tartari & una nitri drachma cum dimidio; quæ tamen proportiones a quibusdam variantur: Hæc vero mixtura per vices sumenda exhibetur. Ausi sunt aliqui usque ad dosim alicujus unciæ nitrum præscribere; quorum tamen exemplum imitandum non est, cum alii scite observaverint nitrum in nimia dosi præscriptum digestionis opus multum turbare, ac cardialgiam, oppressiones pectoris, vomitum, alvi profluvia, aliaque symptomata parere. Quæ quidem pene similia incommoda deprehendit cl. *Alexander* oriri ex nitro aut per longius temporis spatium suscepto, aut ægris debilibus administrato. Aliam huic observationi analogam vulgavit etiam cl. *Doctor Joseph Sonsis Cremonensis.*

OLEUM FLORUM CHAMOMILLÆ COCTUM.

Rec. Florum chamomillæ recentium libras tres.
Ol. olivarum libras sex.

Digerantur per mensem circiter, & igne leni coquantur, & interea massa agitetur continuo spatula lignea ad omnis humiditatis consumtionem, donec scilicet parum hujus olei prunis injectum statim sine sibilo & strepitu flammam concipiat; tum cito ab igne remotum & sacco injectum prælo modice calefacto subjiciatur, ut omne oleum prodeat, quod post refrigerationem a fæcibus decantatum servetur.

Adhibetur cum fructu externe pro unctionibus, & aliquibus clysteribus additur a dimidia uncia ad unam & usque ad tres.

OLEUM TEREBINTHINÆ AETHEREUM & EMPYREUMATICUM.

Rec. Terebinthinæ quantum lubet.

Ponitur in retorta duabus tertiis sui partibus plena, ac balneo arenæ destilletur, donec nihil amplius exeat. Destillatum oleum separatur ope infundibuli vitrei a phlegmate, quod aliud non est quam ACIDUM TEREBINTHINÆ; atque hi duo liquores separatim servantur in duabus phialis vitri rite clausis. Si destillatio interrumpatur, ut oleum, quod in recipiens, sub initium sine colore transit, separetur ab eo, quod subsequitur cum aliquo co-

lore, multoque magis si ipsum semel rectificetur cum aqua, acquiritur OLEUM AETHEREUM, seu SPIRITUS TEREBINTHINÆ, quod oleum servari debet in phialis vitreis accuratius adhuc clausis, cum ipsum subjaceat iisdem alterationibus, quibus obnoxia sunt OLEA ESSENTIALIA. Eidem tamen pristina puritas restituitur, si semel cum aqua rectificetur.

Oleum empyreumaticum non adhibetur nisi externe aut solum, aut miscendum cum aliquo unguento. Aethereum vero non solum usibus externis utiliter servit, sed etiam ab aliquibus adhibetur ad usus internos a quatuor guttis ad quindecim, atque ad unum scrupulum mixtum aliquibus electuariis aut bolis, aut simpliciter additum alicui vehiculo; quo in casu ego censeo præscribendum non esse nisi cum adminiculo alicujus mucilaginis, vel vituli ovi. Immo ratione habita odoris & saporis multis ingrati melius expedire puto ipsum sub aliis formis exhibere. Hoc remedium in calculis felleis maxime laudat cl. *Durande* præscriptum simul cum æqualibus partibus Aetheris sulphurici, & sumendum mane singulis diebus in mensura cochlearis coffei. Idem cum bono exitu in eodem morbo præscripsit etiam cl. *Professor Titius Wittembergensis* monetque addi posse aliquas guttas gratioris cujusdam olei si ægrotus mixturam ægre ferat. Oleum Terebinthinæ in aliis casibus commendari consuevit, ut inter alios ac remedium utilissimum externe applicandum in Nosocomiorum gangrenis simul cum china conjunctum, camphora, aut myrrha aut his duobus junctum ea copia adhibendum, qua opus est, ut dicti pul-

-eres in formam pulmenti redigantur. Hujus olei usus in his morbis maxime commendatus uit a celeb. chirurgo *Dussassoy*. Quantum ego ıbsum a probando interiori ejus usu, quem galicus auctor pro gangrænis Xenodochiorum præcribit, tantum eidem assentior circa utilitatem, uam afferre potest methodus curæ exterioris ab pso præscriptæ, cum valde proficuam esse de-ere censeam in his morbis applicationem exteram olei Terebinthinæ ea ratione, quam diximus, vel alia simili. Certior etiam a clar. *'olpio* factus sum adhibitam hanc methodum uræ exterioris ab ipso sæpe fuisse exitu feliissimo. Cæterum in casu nostro chinæ subroanda erunt ipsius succedanea.

Ast ego optarem vehementer in Nosocoiorum gangrænis, ac generatim in ulceribus utridis fœtentibus omnibus, etiam obstinatissiis ad ea expolienda, ac detergenda usum inuci acidi muriatici oxigenati. In his enim cirumstantiis ab hujus acidi usu exteriore valde enum exitum mihi polliceri posse videor. Atue ita opinari me cogunt primum conjectura lar. *Girtanner*, qua sibi probabile esse dixit hyrogenium constituere posse radicale principium cidi muriatici; 2. peculiaris theoria, sive opiio, quam ego tueor, & quam explicavi satis mple in publicis prælectionibus, cum docendæ hymiæ artis munere fungebar circa fœtentes odoes, ac ideo circa corruptas putridasque substanias, ad quas operam suam præcipuam hydrogenim conferre certum est; certumque pariter est hyrogenium magnam affinitatem cum oxygenio haere. Quæ omnia confirmari mihi visa sunt ob-

servationibus quoque, quas ipsemet habui circa modum, quo hujusmodi acidum operatur in putrefactas substantias, ac inde prodeuntes effectus. His rationibus nixus cuperem hujus acidi utilitatem praxi, & experientia confirmari Hac enim methodo ea quoque utilitas haberetur, ut & chirurgus, & adstantes, ac vel ipse aër circumambiens a putridi odoris infectione liberarentur, qui in hisce casibus erumpere solet cum chyrurgorum, & adstantium molestia, & etiam periculo contrahendi morbi, & mutationis in pejus vel ipsius infirmi. Similis utilitas trahitur etiam a methodo externæ curæ a cl. *Dussassoy* præscriptæ. At ego opinor ad hunc assequendum effectum utilius, & promtius longe præstare acidum muriaticum oxygenatum spiritui, vel oleo terebinthinæ. Hujus etiam acidi methodo declinaretur non exiguum incommodum, quod plures non sine molestia experiuntur ab usu olei terebinthinæ, odoris scilicet penetrantis, & valde molesti, qui ab eo exhalatur, & diutius, in eo loco, in quo adhibitum fuit, perdurat. Moneo tamen, ut acidum oxigenatum in hunc usum adhibeatur, non ordinarium, quod tam efficax, & oportunum esse non potest, ut oxygenatum.

Adhiberi etiam potest pro omnibus usibus quibus inservit, OLEUM SUCCINI, atque hinc etiam pro mulieribus histericis præscribi potest odoratu sumendum. Ubi vel sola cuti fricetur hoc oleo, in urina diffunditur odor violarum & quidem intensior quam habeatur ab ipsa terebinthina interne adhibita.

Quæ vero remanet substantia in retorta

post destillationem, non differt a COLOPHONIO vel A PICE GRÆCA. Quare harum substantiarum loco ad eosdem usus illa potest adhiberi.

OXIMEL SCILLITICUM.

Rec. Aceti scillitic. part. unam.
Mellis optimi partes duas.

Fiat ebullitio mellis in vase figulino non vitreato. Addatur acetum eo modo, quo diximus addendam esse aquam in depurando MELLE, & similiter proceditur in ejus despumatione & servatur.

Interne præscribitur a duabus drachmis & etiam usque ad uncias duas addendum potionibus, vel mixturis, & aliquando pro conficiendis electuariis; monendum tamen, ut in conficiendis electuariis, cum hoc remedium multum energicum sit, præscribi non debeat dosibus indefinitis, ut fieri solet in præscribendis electuariis, quæ ex aliis liquidis loco oximellis scillitici conflantur, per eam formulam adhiberi solitam in QUANTITATE SUFFICIENTI; oportet enim in re nostra determinari præcise dosim pro qualibet ingredientium quantitate, quæ ad conficiendum electuarium præscribuntur. Quod si præscripta quantitas pro commodo electuario satis non esset, pharmacopolæ arbitratui dimitti potest ad supplendum defectum libertas utendi vel oximelle simplici vel melle. Multum interest hujus moniti observatio, ne ex mala administratione hujus remedii ea incommoda deri-

ventur, quæ in priori parte descripsimus, ubi de SQUILLA.

OXIMEL SIMPLEX.

Rec. Aceti vini fortis
Mellis optimi ana partes æquales.
Paretur simili modo, quo OXIMEL SCILLITICUM.

Interne præscribitur raro solum, frequenter additum mixturis, vel potionibus a dimidio unciæ ad duas; additum vero sufficienti quantitate vehiculis, quæ communibus potionibus inserviunt, usque ad quatuor uncias. Cavendum tamen, ne emulsioni alicui adjungatur, cum per hanc additionem alteretur emulsio ob acidum, quod in eo continetur; eademque ratione cavendum, ne emulsioni addatur oximel scilliticum. Oximel autem simplex additur etiam collutoriis & gargarismis. Prodesse quoque potest aliquando externe. Et ubi misceatur cum eo aliqua portio VIRIDIS AERIS, adhiberi potest majori cum fructu loco UNGUENTI ÆGYPTIACI, seu UNGUENTI ÆRUGINIS vel ut melius dicam *oximellis aeruginis*, quo utuntur cum plumaceolis vel alio modo.

Utrumque oximel longe efficacius evadit eo quem dixi processu administratum, quam si longa ebullitio adhibeatur, ut communiter fieri solet; hisce tamen indicatis methodis ea diligentia est adhibenda, ut sæpius æstivo maxime tempore præparentur; utque serventur in loco frigido sicco.

?ULPA PRUNORUM.

?ec. Prunorum maturorum quantum lubet.

Hæc ebulliant in sufficienti copia aquæ ontis usque ad solutionem perfectam. Solutio ostea per setaceum trajecta evaporetur in baleo maris ad spissitudinem mellis, & additis inc unciis quatuor sacchari singulis libris, ulrius fiat pulpa, reddita massa spissiori. In ic tota præparatione continuo agitari massa ebet spathula lignea.

Doctorum omnium practicorum judicio hæc ulpa constituit medicamen laxativum dulce, iod vices optime supplere potest PULPÆ CASÆ maximo œconomiæ emolumento. Ipsa ve- præscribitur interne ab unciæ dimidio ad as ore sumenda, nunc ipsa sola, nunc invoa cum saccharo vel alio pulvere, nunc soluta aqua, vel sero, aut alio vehiculo, nunc sub rma electuarii cum aliis ingredientibus. Sæis juvat eidem misceri aliquod aliud laxatim remedium præsertim ad augendam ipsius rgantem vim, ut cremorem tartari, salem arum, succedanea Sennæ, Jalappam &c. hoc in modo nunquam vel raro dolores ventris untur. Hujus pulpæ subsidio vel solius, vel eri remedio laxativo commixtæ ut jalappæ obtineri facile potest etiam aliquorum pueum purgatio, qui aliis medicamentorum geibus repugnant.

Ipsemet deprehendi per additionem acidi arosi crystallisati factam pulpæ prunorum *Marabelli.*

absque mixtione sacchari haberi massam multum analogam PULPÆ TAMARINDI, & ea quidem utilitate, ut eadem commode ubique parari possit & simul minoris pretii sit, & gratior demum evadat ratione habita Tamarindi. Hisce de causis crederem universim exulare commode posse a medicina TAMARINDUM, cum ex una parte remedium sit adulterationi subjectum, ideoque interdum noxium, & ex altera parte magni dispendii sit. Quare pro divitibus expedit subrogari mixturam pulpæ prunorum & acidi tartarosi, & pro pauperibus loco acidi puri, dispendii vitandi causa, pulpam prunorum cum aliqua portione cremoris tartari commisceri commode potest. Sic exulante PULPA TAMARINDI, & exulante pariter CASSIA, ut antea dixi, unius remedii indigenæ usu dispendium vitaretur duorum remediorum exoticorum sine ullo ægrorum detrimento, immo tutior esset, simplicior & a periculis remotior ægrorum curatio. Qua in re gratulatus sum mihi quod deprehenderim virum cl. *Prof. Petrum Frank*, quo magistro ac duce optimo me plura didicisse lubens glorior, id ipsum in hac re sentire, cum in ea, quam ad me dedit humanissima epistola, dum Viennæ degeret illuc ex Ticino vocatus, mihi significaverit æquali cum exitu pulpam prunorum commixtam cum crystallis tartari pulpæ Tamarindi substitui posse.

PULVIS ALGAROTTI seu *oxydum stibii acido muriatico præcipitatum.*

Rec. Nitri depurati partes tres,

Antimonii crudi partes duas, quæ detonantur.
Deinde

Rec. Hujus hepatis antimonii pulv. libr. unam.
Sal muriatic. pul.
Acidi vitriolic. fortis in libris tribus aquæ destillatæ prius diluti ana uncias quinque.

Misceantur omnia & digerantur per viginti quatuor horas levi igne, simulque sæpe misceantur spathula lignea vel vitrea. Postea solutio tretur, magnaque aquæ calidæ copia præcipitetur, & præcipitatum, postquam ablutum erit, exsiccetur in loco umbroso & servetur, diximus de mercurio dulci.

Unice inservit præparationi TARTARI EMETICI.

ROOB JUNIPERI.

Exprimitur decoctum, quod superfuit ex destillatione AQUÆ JUNIPERI & evaporatur eadem prorsus ratione, quam indicavi in præparatione extractorum, ad spissitudinem densi mellis; ac tum adduntur
Sacchari albi unciæ novem, atque hæc bene mixta præparatio servatur in vase clauso, ut diximus de extractis.

Interne præscribitur roob juniperi solutum in aliqua mixtura vel simpliciter in aliquo opportuno vehiculo a duabus drachmis ad sex. Ejus vis & efficacia augetur, si in aqua ju-

niperi dissolvatur, vel saltem in ejusdem infuso. Eo præterea utimur tanquam constituente pro conficiendis aliquibus massis pilularum vel aliquorum electuariorum, atque in horum usu præscribitur etiam usque ad uncias tres.

Expediret hoc roob juniperi in officinis paratum haberi etiam absque saccharo, cum interdum prodesse possit ejus sine sacchari mixtione administratio.

ROOB SAMBUCI.

Rec. Succi e baccis Sambuci maturis expressi libras quatuor.

Coquatur continuata agitatione & celeri ebullitione ad mellis consistentiam paullo crassiorem, probe tamen caveatur empyreuma; id quod efficitur, si cautiones observentur, quas inculcavimus in præparandis extractis; deinde addantur

Sacchari albi unc. quatuor.

Ubi saccharum perfecte solutum fuerit, ab igne removetur, ut de roob juniperi.

Interne præscribitur eadem dosi, iisdemque formis, cæterisque, quæ indicavimus circa roob juniperi.

SAL AMMONIACUS DEPURATUS, *murias ammoniacæ depuratus.*

Sal ammoniacus crudus redactus in pulverem solvatur in parte quintupla aquæ calidæ. Filtrata solutio evaporetur in vase vitri vel te-

æ & in loco frigido reponatur, ut concrescant rystalli, & crystalli niveæ collectæ exsiccentur. ixivium quod remanet, iterum evaporetur pro lteriori crystallisatione, donec nihil amplius rystallisetur.

Sal ammoniacus sic depuratus nihil differt FLORIBUS, ut dicitur, SALIS AMMONIACI, seque solus est, qui adhiberi debeat ad usus ternos, pro quibus præscribitur a sex granis l dimidium scrupuli, ad unum scrupulum, non ltra tres drachmas. Exhibitus in maxima dosi entrem exstimulat. Ipse vero nunc in pulvere, unc solutus præscribitur, sed fere semper aliis emediis commixtus. Ubi solus præscribatur, im sit saporis multum injucundi, juvat eum isceri cum saccharo, vel melle, vel infuso liiritiæ, vel aliquo syrupo &c. juxta formulam, a ipse præscribitur, & prout res exigit, ut ea tione minus ingrata ipsius sumtio reddatur. In uribus casibus bono cum fructu chinæ miscer, ejusque succedaneis, aliisque remediis corborantibus, rhabarbaro &c. In solutione deum præscribitur quoque in gargarismis vel coltoriis.

Jam vero tam in depurando, quam in eo ntrectando ut ægris præbeatur, & in quavis alia cumstantia nunquam utendum est instrumen- metallicis præsertim cupri, & aurichalchi, at ro instrumentis vitreis, vel terreis, vel ligneis. ec regula, quæ generatim in omnibus salibus t observanda, magis necessaria redditur in nnibus SALIBUS NEUTRIS AMMONIACALI-JS, & ALCALI VOLATILI.

SAL VOLATILE, SPIRITUS, & OLEUM CORNU CERVI, seu *carbonas ammoniacalis Cornu Cervi fluidus & concretus, & oleum foetidum animale Cornu Cervi.*

Rec. Cornu Cervi in fragmenta confracti vel ejusdem rasuræ quantum vis.

Ponatur in retortam vitream, quæ in furno arenæ collocatur; adglutinetur amplum excipulum, & ignis excitetur per gradus. Calore ebullientis aquæ paullo intensiore exit phlegma insipidum odoris ingrati, aucto igne prodit phlegma alcali volatilis fœtidi, quod SPIRITUS CORNU CERVI nuncupatur; huic succedunt oleum fœtidum tenuius, ALCALI VOLATILE CONCRETUM, ac tandem oleum fœtens crassum, nigricans, quod se priori commiscet. Cum nullæ amplius nebulæ apparent, ab operatione abstineatur. Refrigeratis vasis SAL VOLATILE CONCRETUM eximatur, cui addatur æquale cretæ in pulverem redactæ pondus, & sublimetur leni calore, atque hoc modo sal prædictus satis depuratus obtinetur. Melius id fieret, si spiritu vini ablueretur, quam si sublimetur cum creta, ut dixi. Sed œconomiæ causa hunc quem modo innui processum præferre volui. Sic quoque ubi spiritus separatus ab oleo leni calore ad dimidium circiter destilletur, habebitur spiritus rectificatus. Quæ tamen operatio absolute neceſſaria non est maxime in curatione pauperum, cum satis bene inservire usibus possit etiam spiritus in priori destillatione habitus, & simpliciter separatus ab oleo, quin ulterius depuretur. OLEUM

prædictum si destilletur cum quatuor vel quinque partibus aquæ semel vel sæpius, donec diaphanum evadat, absque colore, fluidissimum, odorisque quidem vehementissimi, sed non ingrati, nomen accipit OLEI ANIMALIS *Dippellii*. Ubi plures destillationes adhibeantur, singulis vicibus opus est aquam mutari, & recipiens. Attamen satis esse posset unica depuratio, ubi prior separetur portio olei limpidi, quod fluit, & levis calor adhibeatur. Cæterum oportet singulis vicibus oleum in retortam effundi ope infundibuli, cujus apex desinat in vacuum retortæ spatium, ut periculum caveatur, ne aliqua ipsius gutta collo retortæ adhæreat, cum vel una gutta olei nigri posset colorem indere magnæ olei albi copiæ.

SPIRITUS & SAL ac vel ipsum OLEUM NIGRUM satis conservantur, si in vitris hermetice clausis collocentur. Sed OLEUM RECTIFICATUM ne mutationem suscipiat, majores postulat cautiones. Primo enim reponi debet in ampullis crystallinis cum operculo hermetice clauso, sed quæ sint exiguæ capacitatis, quarum propterea numerus prout opus eſt, multiplicari debet. Secundo servari debent ampullæ semper accurate plenæ, ita ut quoties ab iis extrahitur aliqua olei portio, toties æqualis pars substitui debeat aquæ loco olei ablati. Tertio hæ ampullæ semper teneri debent in aqua immersæ, & proderit, si in ipsa solvatur, quidpiam aluminis. Hæ cautiones eo spectant, ut oleum, quantum fieri possit, ab aëris contactu defendatur.

Quod si progressu temporis tria recensita præparata coloris mutationem induerent, facile

reduci possent ad pristinum eorum statum unica depuratione, quæ modis indicatis fieret. Mutatur autem eorum color per gradus, primum nempe in flavum, deinde nigrum colorem.

CARBO RESIDUUS igne aperto ad albedinem calcinatus est CORNU CERVI USTUM; quod paratur eo modo, quem diximus, ubi de ANTIMONIO CRUDO PRÆPARATO.

Idem SPIRITUS, SAL, OLEUM & CARBO elici possunt e quibuscumque partibus quorumcumque animalium, ADIPE excepta.

Prudentis artificis est adhibere excipulum foramine instructum obturaculo luteo vel cereo clauso; quod nonnunquam amoveatur, ne vapores elastici nimis expansi vasa disrumpant. Sit pariter collum retortæ satis amplum, ne a sale volatili concreto obstruatur.

Si retortam lutatam huic operi assumere placeat, hæc in furno idoneo igni immediate exponi potest.

Spiritus & sal passim non adhibentur nisi ad usus internos; atque hæc remedia majorem, quam habent, aestimationem & usum apud medicos mererentur. Spiritus, qui nihil aliud est, quam portio ejusdem salis in fluido aqueo soluti, præscribitur a decem guttis ad dimidium drachmæ & usque ad drachmam unam, & passim addendus mixturis. Sal vero exhibetur a quatuor granis ad duodecim, ad unum scrupulum & usque ad dimidium drachmæ solutus, ut variæ mixturæ liquidæ roborentur; at melius præscribitur sub pilularum forma, cum sic magna ex parte temperentur ipsius odor & sapor, nisi morbi circumstantiæ, aut ægrorum indoles id prohi-

eant. Oleum cornu cervi, quod obtinetur in riori destillatione, utile in pluribus casibus reiedium est, adhibendum externe adinstar olei rebinti inæ. Interne autem si adhibeatur, utius est oleum rectificatum dictum OLEUM ANI IALE *Dippellii.* Hoc autem præscribitur a quaior guttis ad decem, ad scrupulos duos mixtum uibusdam aromatibus in forma electuarii vel olorum, vel in aliquo congruo vehiculo. Sed iod spectat ad hanc ultimam præscriptionem, em de hoc remedio dicendum est, quod dixius de oleo terebinthinæ.

Negari non potest, quin oleum animale *Dippellii* efficacissimum remedium sit. Attamen in ratione pauperum, ubi maximi dispendii est, ostineri ab ejus usu potest. Hoc ego referre voi, cum abstinere non possem à referendo spitu & speciatim sale volatili Cornu Cervi, & ioniam oleum Cornu Cervi simul cum aliis proictis obtinetur eodem tempore, eademque opetione, atque ut hoc, prout opus est, depurer, maximum dispendium non requiritur, ubi ocessus, quem dixi, adhibeatur, hinc ne illud iidem præterire volui. Expedit enim hoc etiam medium habere medicos in promtu, quo pro rcumstantiis parce admodum uti possint, illudie iis solis casibus accommodare, in quibus alia media ejusdem generis inutiliter adhibuerint.

Pharmacopolæ in emendo ab aliis spiritu C. maxima diligentia uti debent. Solent enim iqui nequiter ipsum depurare cum calce; quo statu peracer evadit & in aliquibus circumintiis potest minus quam alter congruere. Cooscitur autem hujus spiritus corruptio, si affu-

so spiritu vini rectificati præcipitatum oriatur, quod levi calore non dispareat. Id etiam agnoscitur ex minus promta ac forti effervescentia, vel etiam interdum ex nulla, quam ipse cum acidis producit.

Sal Cornu Cervi sic dictum nihil est aliud, quam *carbonas ammoniacalis* intime conjunctus cum parte quadam olei fœtidi animalis. Hinc arte acquiri potest sal volatilis illi similis C. C. etiam absque destillatione Cornu Cervi, qui perfecte cum ipso congruat etiam in medicis proprietatibus; atque id passim comparari potest, quin opus sit depuratione, & præterea minori calore & incommodo. Ecce processum instituendum. Sublimetur mixtio composita ex quatuor unciis salis ammoniaci, & unciis sex salis tartari alcalini, & una drachma olei C. C. nondum rectificati. Obtineri promtius etiam potest leviori labore & minori dispendio, si simpliciter conteratur sal volatile concretum salis ammoniaci natum in destillatione spiritus salis ammoniaci aereati, cum aliqua gutta oleii C. C., meliusque obtinebitur, ubi rectificatum adhibeatur. Sed ubi hac ultima ratione paretur, expedit illud parari eo tempore, quo utendum est. Similiter per artem obtineri potest spiritus C. C. similis tam rectificato quam non rectificato, prout adhibetur oleum, vel rectificatum, vel nigrum, adhibito spiritu salis ammoniaci aereati. Quocumque demum processu utamur pro his artificialibus præparationibus, facile utilitas intelligitur, quæ in quibusdam circumstantiis ex iis trahi potest.

Cornu Cervi calcinatum, quod acquiri po-

test in prædicta destillatione, potest & ipsum aliquem usum habere. Nam primo *Bonhomo*, qui multas observationes in rachitidem habuit, postquam varias theorias circa hujus morbi causam exposuit, existimat lotiones alcalinas sub initium factas in corporis partes rachitide affectas plurimum ad valetudinem conducere; atque *phosphatem calcis*, cujusmodi est TERRA CORNU CERVI CALCINATI, interne sumtum multum conferre ad valetudinem ipsam accelerandam. Quæ si vera sunt, habemus in promtu aliud remedium nullius fere dispendii, cujus utilitatem in hoc morbi genere aliorumque cuperem experientia confirmari. Illud est secundo loco certum hoc inservire posse DENTIFRICIO PULVERI conficiendo. Hæc præparatio prima fronte spectata videri potest inutilis vel puri luxus; sed re serius expensa & spectatis damnis & incommodis, quæ sæpe nascuntur ex defectu munditiei dentium, spectatoque demum exiguo, vel nullo hujus præparati dispendio, prudentia docemur hoc etiam uti remedio dentibus aptissimo, cujus propterea utilitas contemni non debet. Formula autem hujus præparati esse potest, quæ sequitur. Fit mixtio unius unciæ C. C. præparati, unciæ dimidiæ corticis salicis redacti in pulverem, duarum drachmarum corticis quercus pariter in pulverem redactæ; atque huic mixtioni adjungi potest aliqua substantia aromatica ad gratiam ei conciliandam, ut esset calamus aromaticus, aut cortex citri, vel anisi, vel aliquod oleosaccharum, vel aliud simile. Cavendum est tamen, ne DENTIFRICIIS præparatis misceatur aliquod acidum, vel sal neutrum continens aci-

dum liberum, ut esset cremor tartari, vel alumen &c. sicut fit ab aliquibus: licet enim hæc corpora aptiora sint ad albedinem dentibus conciliandam, nocent tamen non parum, cum texturam dentium, & gengivarum offendant. CIRCULATORES nonnulli pluris vendunt aquam cum acido vitriolico acidam redditam tinctamque aliquo colore vegetabilium ut aptam albedini dentium comparandæ. Hujus generis erat aqua *Sirabode*, Ex hac promtus quidem habetur effectus, sed dum maltha dentium destruitur, augetur causa pessimæ qualitatis, quæ corrigenda esset. Hac occasione illud quoque moneo, ut cum præscribitur acidum vitriolicum, caute adhibeatur, ne agat in dentes, & noxias in eis impressiones excitet, ut reapse contingit, si absque debita cautione subministretur, vel diuturnior fiat ipsius usus.

SCILLÆ EXSICCATIO sive PRÆPARATIO.

Rec. Bulbum scillæ recentis, ablato externo cortice, transversim sectum in taleolas tenues.

Hic calore lenissimo, ut in balneo maris vel expositus æstivo soli, vel in loco satis, sed temperate calido probe exsiccetur, ut friabilis fiat, ac tum continuo redigatur in pulverem, qui in vitro bene clauso servetur. Ubi scilla rite parata fuerit, licet friabilis facta sit, servare debet amaritiem & acrimoniam sibi propriam. Efficacior manet hac præparatione scilla quam tostione in olibano cum pasta ex farina & aqua.

Interne præscribitur a tribus granis, ad quinque, ad decem, nunquam sola, sed simul cum aliquo pulvere nunc simpliciter ad augendum volumen, ut est saccharum, aut pulvis liquiritiæ, aut magnesia &c., nunc vero ut auxiliatrix aliorum pulverum ad vim augendam. Potest etiam suppeditari in bolis, aut mixta cum aliquo vehiculo. Sed hæc ultima forma minus idonea est, ut est minus idonea pro aliis pulveribus, qui vim habent multo efficacem. Qua de re vide, quæ diximus, ubi de IPECACUANHA PART. I.; additur etiam in clysteribus irritantibus, & iis in casibus, in quibus præscribuntur clysteres infusi tabaci. Quod vero spectat ad hujus vim, & effectus; atque ad cautiones in ejus usu adhibendas, revocari possunt, quæ dicta sunt PRIMA PARTE de SCILLA RECENTI.

Creditur hoc præparatum esse venenum ad necandos mures. Optandum esset, ut effectus huic opinioni responderet. Sic enim ab infestis his animalibus res tueri facile possemus, quin aliis substantiis uteremur ad eos necandos, quæ contrectari non solent sine periculo.

SPIRITUS MINDERERI, s. *acetis ammoniacalis.*

Saturetur quælibet aceti communis copia cum sufficienti quantitate spiritus salis ammoniaci aereati eo prorsus modo regulisque, quas innuimus in præparatione liquoris C. C. terebinthinati, & in loco frigido asservetur. Sed æstivo maxime tempore sæpius iterandum est.

Hoc est sal vere neutrum solutum, quod ad usus interne præscribitur ab uncia dimidia

ad unam & usque ad quatuor; raro ipsum solum præscribitur; frequentius dilutum aliquo convenienti vehiculo, simulque sæpe edulcoratum cum melle, vel oximelle, vel aliquo syrupo, nec raro præterea simul cum aliis remediis. Potest etiam externe adhiberi, sed rarius id fit.

Cautio quoque utilis & laudabilis est, ut in saturationis opere sic procedatur, ut magis abundet aceti quantitas, quam alcali Quod quidem exemplum proferendum quoque fuisset cum aliis, quæ proposuimus in monitis præliminaribus, ubi omissum fuit. Certo dignoscitur alcali copiam superabundare, si colorem fuscum exhibeat; ut propterea, ubi diaphanus sit, indicium præbeat alkali non abundare. Non deest nobilis scriptor, qui putat salem hunc non esse necessarium remedium, immo parum esse proficuum ejusdemque vices facile expleri posse ab alio sale neutro. Aliter tamen opinantur non minoris celebritatis medici, qui eum habent loco remedii maximæ utilitatis, & efficaciæ. Usum hujus salis internum maxime propagavit celeb. Profess. *Frank*, cum antea vix rarissime sal iste, nec nisi parcissime adhiberetur. Quod sane in causa esse probabiliter potuit, quod ipsius usus eos non pareret proficuos magnosque effectus, quos parare natus est, ubi in ea, quæ convenit, dosi administretur. Ego certe hunc salem a prædicto clar. Professore optimo cum exitu frequenter adhibitum fuisse vidi.

Certe sal iste iis proprietatibus instructus apparet, quæ in aliis salibus inveniri nequeunt. Ex quo etiam colligi posse videtur, alios sales non posse ejus vices agere. Sane constat, ipsos

mmoniacalium salium effectus ab aliis diversæ aturæ salibus expectari non posse ob diversam gendi rationem inter ipsos sales ammoniacales. Sal illud neutrum, quod dici solet spiritus minlereri, cæteris præferri potest, quod minus disliceat palato mitiorque sit in operando, ac cæeris facilius absorbeatur.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI TARTARISATUS, seu AEREATUS, seu *Carbonas ammoniacalis fluidus.*

Rec. Salis ammoniaci pul. libram unam,
Tartari alcalini unc. quindecim.

In retorta vitrea unus post alium ponitur pulvis, in eaque fit mixtio, cui adjungitur

Aquæ communis libra una & ſemis.

Arenæ balneo retorta committitur & continuo applicato amplo receptaculo perforato, juncturisque vesica molli firmatis destillatio instituitur ad siccitatem, & liquor destillans servatur n vitro instructo pariter epistomio vitreo.

ALCALI VOLATILE CONCRETUM adhærens vasorum lateribus una cum spiritu lagenæ committitur. Si quis velit majorem copiam salis volatilis concreti ad aliquem usum habere, quin opus habeat alio processu, repetere potest destillationem ut supra, & loco aquæ subrogare prædictum spiritum volatilem.

Interne præscribitur a sex guttis ad decem, ad viginti & usque ad scrupulos duos in aqua destillata, quæ tamen ſit ea copia, ut sine in-

commodo ingurgitari possit, additurque diversis mixturis. Potest in aliquibus casibus utiliter explere vices salis, vel spiritus C. C. iis præsertim in ægris, in quibus hujus generis remedia indicentur, & qui ferre nequeunt producta Cornu Cervi ob eorum fœtidum odorem, ingratumque saporem. Cæterum cum etiam sapor alcali salis ammoniaci sit non parum ingratus, expediet, ubi maxime præscribatur solum in aqua simplici, illud corrigere addito saccharo, vel melle vel aliquo syrupo vel alia substantia. Magno quoque cum fructu adhibetur etiam externe interdum solum ac præsertim ut excellens remedium excitans odoratui applicandum, sæpe additum diversis congruis vehiculis in fomentationibus; denique inservit præparationi SPIRITUS MINDERERI & LINIMENTI VOLATILIS.

Residuum supradictae destillationis dissolvitur sufficientis aquæ communis copia, filtratur & evaporatur usque ad cuticulæ apparitionem. Tunc vero liquore quieti reddito crystalli oriuntur statim eluendi aqua frigida, qui exsiccati exhibent SAL DIGESTIVUM, seu FEBRIFUGUM *Sylvii*, vel *muriatem potassae*.

Hic sal neuter ætate nostra jam oblivioni traditus fuerat tam ut remedium febrifugum, quam ad alium medicum usum, cum utiliores crederentur alii neutri sales. At modo hunc salem in usum tam pro scorbuto, quam pro febri curanda revocare studet Doctor *Parnet Glasgou*, cujus observationes ubi fidem mereantur, probarent aliorum temporum medicos jure hunc salem tanquam febrifugum, atque ad alios usus adhibuisse. Ex quo colligere pronum esset no-

o argumento demonstrari observationes a ma-
ɔribus nostris habitas de vi & actione aliquorum
emediorum tam facile non esse spernendas, ne-
ue negligendas, ut fieri solet a quibusdam me-
icis, levis judicii, exiguæque peritiæ, qui tamen
on raro suffundi debent pudore, dum vident
erum reviviscere ea remedia, quæ temere ipsi
serant, atque contemserant. Ut veniam ad
lem dictum febrifugum *Silvii*, quin ullo modo
æstionem ingrediar de ipsius actione & vi fe-
ifuga, multoque minus de vi antiscorbutica,
ud scio, hunc salem olim passim adhiberi ab
ijus urbis atque hujus Xenodochii medicis, præ-
rtim simul cum china consuevisse. In scriptis
rentis mei, qui Medicus erat huic Xenodochio
vel ipsi Ticinensi Universitati addictus, re-
rii hunc salem tanquam febrifugum ab eodem
quenter præscribi, simulque legi collectas mul-
lices observationes ab ipso factas ad hanc
n salis, de qua loquimur, stabiliendam aptis-
nas.

IRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS seu CAUSTICUS seu ALKALI VOLATILE FLUOR, seu *ammoniaca pura.*

c. Calcis vivæ recenter paratæ pul. libram unam & semis.
Salis ammoniaci in libris sex aquæ destillatæ soluti libram unam.

Hæc caute immittantur retortæ, quæ ali-
otics manu clausa agitetur & deinde balneo
næ committatur. Agglutinetur ipsius collum

ope mollis vesicæ & igne leni instituatur destillatio, donec libræ duæ extrahantur, quæ in vitro probe clauso serventur. Recipiens adhibendum in hac destillatione amplum esse debet & perforatum & aqua frigida vel glacie assidue refrigerandum. Debilior spiritus, qui in destillatione sequitur, seorsim servari potest & novæ destillationi adjungi loco aquæ.

Hic spiritus aptior est altero conficiendo LINIMENTO VOLATILI, cum alcali longe melius oleis uniantur, ubi sint caustica, seu destituta acido carbonico. Vellent aliqui ob ejus vim, qua pollet, vehementer acrem, hunc spiritum usibus tantum externis aptari. Attamen etiam interne maxima cum utilitate adhiberi potest, ac singulares effectus parit, ubi rite administretur, eo solo discrimine, quod iste præscribendus sit ad dosim tertia parte circiter minorem, qua alter præscribitur; nec casus desunt, in quibus spiritus iste præferri aliis meretur ob eas rationes, quas alibi protuli circa præstantiam magnesiæ calcinatæ super æreatam. Etiam quo ad odoratum alteri præferri merito potest, ubi requiratur actio celerior & efficacior ea, quam alter præstare potest, ut inter cætetera in hominibus, qui in mortis versantur periculo ob aërem fixum, sive gas acidum carbonicum respiratum; tum etiam in asphyxiis, atque ad excitandos aqua submersos, vel diversimode suffocatos, vel frigefactos a nive &c, cum ex eo irritamen optimum habeatur, sive admoveatur naribus sive charta vel linteamine uncto fauces humectentur.

Cl. doctor *Bongiovanni* testatur se hoc remedium præscripsisse optimo cum exitu adversus fungorum venenum tam ad odoratum quam ad usum internum. At mihi videtur ubi emetico locus sit, utilius esse ante hujus remedii usum emeticum ipsum præscribere. Aliquorum judicio singulare remedium est adversus rabiem caninam. Neminem latet cl. *Fontanam* hoc ipsum remedium magnopere commendare ad morsum viperæ curandum.

Si quatuor hujus spiritus partes misceantur cum octo spiritus vini, oritur ex tempore id quod dicitur SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS, seu SPIRITUOSUS. Si vero prædictus spiritus vini non simplex seu digestus antea cum aniso redacto in pulverem adhibeatur, sive si inde tinctura extrahatur, & ipsa adhibeatur, hac præparatione obtinetur, quod dicitur SPIRITUS SALIS AMMONIACI VOLATILIS ANIMATUS. Quod si præparatio fiat cum simili tinctura hausta ex cortice citri, aut juniperi aut alterius substantiæ, quod inde oritur præparatum, nomen accipit ab ingrediente, quod adhibitum fuit.

Ope spiritus salis ammoniaci caustici acquiri quoque potest ea præparatio, quæ jampridem diu magnam famam habuit, atque dici solet EAU DE LUCE, sive AQUA LUCIÆ GALLORUM, sive SPIRITUS SALIS AMMONIACI SUCCINATUS & quam ego consulerem in nostra sic præparari. Spiritus vini rectificatissimi unciæ duæ accipiantur, in eoque solvantur saponis albi grana sex; solutioni filtratæ addatur olei ætherei terebinthinæ drachma una, ei-

demque solutioni filtratæ addantur sensim tritu rando spiritus salis ammoniaci caustici unciæ octo Ubi cuticula pinguis appareat, tum addantur spiritus vini rectificati aliquot guttæ, & rite misceantur. In hoc quoque processu, quem innuo, præparatum exhibere semper debet colorem lacteum cum hic sit qualitas essentialis hujus liquori quocumque demum processu præparati, si optimus fuerit.

Porro in hac quoque destillatione adhibitu non est APPARATUS *Wolfii*, qui cæteroqui utilissimus esset, ob rationes, quas protuli i præparatione ACIDI NITRI.

Ut vero hic spiritus semper causticus se purus servetur, maxima diligentia utendum es in eo custodiendo. Oportet enim operculum am pullæ ut ut accurate clausum tegere vesica spi ritu vini madefacta. Rursus ille collocandus e in exiguæ capacitatis ampullis. Secus enim in unica, eaque magnæ capacitatis spiritus re positus esset, hic per iteratas ampullæ aperitio nes plus minusve acidi carbonici facile absorbe ret, atque hine non parum amitteret virium & proprietatum suarum.

Fieri autem potest, ut spiritus iste aliqui acidi càrbonici, vel calcis contineat. Ut id co gnoscatur simulque mixtiones hujusmodi corri gantur, huc revocari possunt, quæ dicta sun de lixivio caustico, eo solo discrimine, ut ub de lixivio caustico monuimus, utendum esse car bonate potassæ, in casu nostro adhibeatur car bonas ammoniacæ.

Quod si contingeret ruri vel alio in loc deficere hoc maximi momenti in pluribus circum

antiis subsidium, & ex altera parte rei neces-
tas ejus usum ad odoratum postularet, ut in
s casibus, quos antea recensuimus, hujus de-
ectus sarciri posset ope salis ammoniaci, quod
icile apud quemlibet pharmacopolam ubique in-
enitur, si nempe sal iste conteratur cum calce
iva, vel hujus defectu cum aliquo sale alcalino
xo, & ubi hoc etiam deesset, cum cinere ignis
ommuni. Hæc mixtio prope nares posita vices
xpleret, atque hæc mixtio penetrabiliorem red-
eret exhalationem alcali volatilis, ubi illa fieret
ım cinere aliquatenus calefacto.

PIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS, seu
Alcohol vini.

ec. Spiritus vini simplicis quantum vis.

Destillatur e balneo maris, donec quidquid
pirituosum est, exhauriatur, quod iterata de-
tillatione, addita tertia parte aquæ puræ, ne-
lecto singulis vicibus phlegmate, rectificetur,
onec in cochleari parte ejus convexa aquæ fri-
idæ immerso integre deflagret, vel eidem inje-
tum sal tartari siccum permaneat, vel pulvis
yreus eidem superfusus, & accensus abripiatur
ı flammam.

Hæc operatio citius absolvitur, si ille tan-
ım liquor, qui qualibet destillatione primo se
rodit, pro sequenti rectificatione leni igne fa-
ienda adhibeatur; debilior autem spiritus, qui
ı destillationibus sequentibus acquiritur, seor-
ım potest servari vel pro nova rectificatione eo-
em modo facienda, vel pro aliis usibus.

Dictus spiritus præcipue inservit præparationi AETHERIS VITRIOLICI, & LIQUORIS ANODINI. Adhibetur etiam interne a dimidia drachma ad duas, & usque ad sex addendus mixturis; immo usque ad uncias duas, præscriptus in sufficienti copia alicujus vehiculi pro potu ordinario. Si præscribatur simpliciter mixtus aquæ communi, potio evadit valde jucunda, quæ adhuc gratior efficitur, si huic addatur aliqua portio mellis, vel sacchari; & jucundior adhuc redditur, si præterea eidem adjungatur aliqua aqua vel infusio aromatica, vel compendii causa simpliciter eidem uniatur elæosaccharum vel syrupus aromaticus. Utimur denique eodem spiritu etiam externe vel solo, vel addito alicui vehiculo pro fomentationibus &c.

Genuinus & eximiæ notæ spiritus vini præter eas dotes, quas antea recensuimus, habere debet odorem fortem, suavem, & in vola manus confricatus nullum relinquere debet nauseosum odorem. Ejus autem sapor vehementer igneus esse debet, amœnus tamen, & quin sensationem urentem in lingua relinquat; & ab omni empyreumatico & dolii sapore semper liber, ac demum charta bibula & pannus lineus eo madefactus incensusque flamma simul cum eo comburantur.

Spiritus autem vini haustus ex diversis aliis substantiis unus ab alio essentialiter differt tam odore & gustu, quem periti facile agnoscunt, quam ratione habita effectuum plus minusve diversorum, qui se produnt. Quare cavendum, ne in magni momenti præparationibus unus alteri substituatur. Cæterum non raro pro internis usi-

bus præcipue in curatione pauperum, tum pro omnibus generatim externis usibus horum substitutio œconomiæ conformior esset & utilior sine ullo ægrorum detrimento. Quod monitum negligendum non esset, cum ad parandos varios spiritus vini adhiberi facile possent aliæ plures substantiæ vel fructus, qui nullius sunt usus, & qui aliunde utiliter proposito scopo inservirent. Quod sane fit in aliis regionibus.

SPIRITUS VINI SIMPLEX & RECTIFICATUS.

Ea quæ libet quantitas vini rubei vel albi in alambicum ponitur; deinde ad destillationem proceditur moderato calore faciendam, ac destillatio continuatur, donec totus spiritus elicitur, & etiam exigua phlegmatis copia, ut certi simus, haustum fuisse totum inflammabilem liquorem. Ubi hic SPIRITUS VINI SIMPLICIS iterum destilletur usque ad dimidium, obtinetur SPIRITUS VINI RECTIFICATI, qui servari debet maxima diligentia, ut etiam cum rectificatissimo faciendum est, in lagenis vitreis bene clausis, & in loco frigido.

Hoc spiritu utimur speciatim ad parandas TINCTURAS. Frequentius œconomiæ causa convenit hunc adhiberi etiam ad usus internos, sed multo magis ad exteriores.

SPONGIA PRÆPARATA seu CERATA.

Spongiæ optime lotæ & siccæ in laminas sectæ in ceram flavam liquatam demittantur;

prælo deinde fortiter expressæ, & frigefactæ serventur.

Præferunt aliqui spongiam, quæ paratur simplici compressione, sed vehementi exiguarum spongiarum bene lotarum & siccarum sub prælo. Sed quæ paratur hoc modo, exiguo temporis spatio servari potest, nec nisi in loco admodum sicco, cùm facile ipsa, & brevi intumescat. Quare hujus generis spongiæ præparatio frequentior esse deberet.

Sed quocumque modo spongia paretur, utraque non adhibetur nisi a chirurgis.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII seu *oxydum stibii sulphuratum aurantiacum.*

Rec. Antimonii crud. subtiliter pulv. partes duas
Sulphuris citrini pulv. partes tres. Misceantur &

Coquantur in copia lixivii caustici sufficienti, prius tamen diluti cum sufficienti aquæ destillatæ quantitate intra lebetem ferreum, donec appareat lixivium coloris saturi flavi. Tunc lixivium hoc adhuc calidum filtretur; pulveri, siquis supersit, denuo lixivium causticum adfundatur; ac ita coquatur, & continuetur filtratio, donec, quantum fieri potest, totus pulvis solutus sit, seu donec lixivium non amplius flavum colorem induat. Ex his lixiviis per chartam bibulam filtratis, & inter se junctis ope aceti aut vitriolici acidi aqua bene diluti omne sulphur, quod continent, præcipitatur, & aqua communi primum frigida, deinde calida toties abluitur,

uoties opus est, ut omnis salsus sapor plane vanescat, uti & omnis odor nauseosus ovi pu-idi. Tum præcipitatum lente exsiccandum est ı loco umbroso non frigido in charta empore-ca super inversum cribrum apposita, cum ex-ccandus non sit expositus soli, quoniam lux, ım in chymicis præparatis speciatim metalli-s alterationes quasdam inducat, nostri quoque e quo agimus colorem minuit, atque hac ipsa e causa servari debet eo modo, quo diximus rvandum esse mercurium dulcem.

Pro hac, quam diximus præcipitatione dbiberi commode potest residuum aetheris vi-iolici antea diluendum & filtrandum, ut cla-escat, quemadmodum dictum fuit, ubi de æ-ere. Curandum autem est, ne solutio acido mium impleatur, quo fieret, ut deinde color æcipitati magis minueretur, quam exalteretur. æterea cum prædicta mixtio sæpe agitanda t, dum ebullit, adhiberi debet spathula lignea, ım si adhibeatur ferrea, sulphur antimonii ırtibus ferri & sordido croci-martis colore in-iinetur. Sulphur auratum antimonii in granis entum continet calcis antimonii grana viginti uinque, & sulphuris grana septuaginta quinque.

Hoc remedium solis usibus internis desti-ıtum esse videtur, pro quibus minus apte præ-ribitur in solutione, seu additum alicui mix-ıræ, ob eas rationes, quas diximus, ubi de ecacuanha & Aethiope. Quare bono cum uctu sub forma pilularum præscribitur ope ex-actorum vel alterius generis substantiæ, vel ıb forma pulveris cum aliquo alio pulvere ad-ıstar simplicis constituentis, ut cum magnesia

vel pulvere liquiritiæ &c absque tamen mixtione sacchari, ut alias monui, cum de liquiritia. Expedit autem hoc cum aliis remediis conjunctum præscribi, ex qua mixtione vel hujus vis augetur vel aliorum. Hinc celebriores practici solent magna cum utilitate hoc remedium miscere cum mercurio dulci, vel china, vel camphora, &c. Observatum est ex unione sulphuris aurati antimonii cum mercurio dulci, illud amittere vim excitandi vomitum, hunc vero vim amittere promovendi salivæ emissionem. Vis quoque in illo emetica intercidit, ubi misceatur portioni sulphuris.

Doses autem, quibus sulphur auratum antimonii exhibetur, sunt pro tenellis infantibus duorum vel trium annorum ab uno grano usque ad tria; in ætate majori a duobus ad sex. Pro adultis autem in morbis acutis a quatuor granis ad decem, raro autem usque ad viginti, ad quæ pervenitur in chronicis & pertinacibus morbis, in quibus post continuatum ejus usum perveniri etiam potest usque ad duos scrupulos, & amplius. At in omnibus casibus exhiberi debet divisim variis vicibus, variisque servatis plus minusve intervallis pro rei necessitate. Quæ quidem regula locum habet in omni remediorum genere, exceptis purgantibus & emeticis, licet nec ista quidem semper excipienda sint, cum interdum expediat vel hæc ipsa exhiberi per varias vices, servatisque inter ipsas interstitiis longioribus pro purgantibus, brevioribus vero pro emeticis.

Exhibitum simul cum salibus mediis non raro excitat nauseam & vomitum, ventremque

xstimulat. Idemque contingit, si acida libera i ventriculo inveniat. Ex quo clare patet neessitas, quæ abstinendum esse jubet ab ejus iixtione cum acidis, atque a simultaneo cum oc remedio usu acidorum; & ideo etiam a poonibus acidulis post ejusdem sumtionem, & ab u alimentorum acidorum vel acescentium: ubi ero suspicio habeatur aciditatis in primis viis, m exigere constat, ut hoc remedium conjunitur cum magnesia, vel cum sapone, vel hæc sa summantur ante usum sulphuris aurati. Quæ iidem monita, & cautiones in usu sulphuris urati antimonii observanda locum habent etiam usu KERMETIS MINERALIS, de quo ego cere prætermisi proposito meo inhærens, cum iic eodem cum fructu sulphur auratum antionii subrogari possit.

Processus præparationis sulphuris aurati, iem indicavimus, tutior est & cæteris præfendus, ut censent etiam *Bergmann*, *Goettling*, *erold*, *Pipenbring*, *Dollfus*, *Hirsching*, *Wiegb*, *Vogler* &c.

Constat tamen interdum sulphur auratum ntimonii adulteratum fuisse cum creta, aliisic extraneis substantiis. Ex quo sequitur, harmacopolas, in emtione sulphuris aurati uti ebere maxima attentione, ut illud sibi compant his dotibus præditum. Primo ut nullam ficiat effervescentiam cum acido nitrico: seindo ut igni vehementi expositum in crucibulo operto alio crucibulo totum avolet, nec terım, nec carbonem relinquat; tertio ut totum lvatur in lixivio caustico: quarto denique ut lorem exhibeat valde fulgentem aurantium.

SYRUPUS CORTICUM CITRI.

Rec. Mellis despumati libr. tres,
Ol. essential. cortic. citri unc. dimidium,
Gummi-arabic. pulv. unc. unam.

Miscetur oleum cum gummi ac sensim sensimque, continuata semper mixtione, eidem conjungitur mel, ac postea in vitro clauso servatur. Additur potionibus ordinariis, ac sæpius mixturis a duabus drachmis ad unciam cum dimidio. Adhibetur etiam tanquam constituens pro aliquibus electuariis usque ad quatuor uncias. Frequentius tamen eodem utimur ad aliqua medicamenta gratiora efficienda.

SYRUPUS CICHOREI CUM RHEO.

Rec. Rhei elect. contus. unc. sex.

Infunde in aquæ fervidæ libras tres; fiat tinctura & colatura seorsim servanda signetur = TINCTURA PRIMA.
Iteretur hæc infusio cum eodem rheo & colatura signetur = TINCTURA SECUNDA; deinde

Rec. Radic. Cichor. unc. tres. Coquantur in
Aquæ communis libris quatuor, & colatura adhuc fervida librarum circiter trium misceatur residuo rheo; post levem ebullitionem percoletur, & addatur tinctura rhei SECUNDA; dein
Sacchar. libr. sex.
Clarificetur liquor & in syrupum densiorem

evaporetur, cui postea adjicitur TINCTURA PRIMA, & facta mixtione servetur.

Maxime necessarium puto hunc syrupum, cum præsertim per hunc habeatur opportunissimum remedium purgans pro infantibus, cui quamcumque curam impenderim, aliud invenire non potui, quod subrogarem & utilitates omnes, saltem in curatione infantium simul collectas haberet, ut habet hoc remedium, de quo agimus. Solliciti autem de infantium curatione non minus quam adultorum esse debemus; cum verissimum sit, quod ait gallicus auctor IL FAUT CONSERVER DES ENFÀNS POUR AVOIR DES HOMMES.

Hoc remedium laxativum eam affert utilitatem, RHABARBARI propriam, quod dum purgat, vires non debilitet, sed potius corroboret. Præscribitur autem interne pro adultis solutum in aliquo vehiculo aut additum alicui mixturæ vel aliis potionibus a dimidia uncia ad tres, vel unitum electuariis; pueris vero præbetur vel solutum in aliquo vehiculo, vel etiam solum ore absorbendum per vices exiguis coffei cochlearibus. Exhibetur infantibus recens natis magno cum fructu ad eos liberandos a meconio aliisque incommodis, quibus subjacent, ut sunt tormina, convulsiones &c., quibus torquentur. Quo præterea remedio curari a pluribus morbis possunt infantes, quos pati solent etiam in progressu primæ eorum ætatis. Ea quoque utilitas habetur, ut facilius hoc remedium, quam quodlibet alterum ipsis infantibus præbeatur, pro quibus

sub hac unica forma ipsum rhabarbarum præscribitur.

Cæterum quod generatim spectat ad diversas subministrandi medicamenta rationes cuilibet ægrotorum classi & ætati, ut facilius sumantur, temperato & quasi abscondito eorum colore, odore, ac sapore injucundo, legi meretur excellens opusculum *Seçain* insertum BIBLIOTHECÆ OECONOMICÆ anno 1790. In hoc opusculo præter recensitas aliasque analogas observationes aliæ quoque continentur, quæ respiciunt quamlibet aliam ægrorum curæ partem. De harum observationum pretio hoc, quod sequitur, judicium fertur in novo *Dictionario Encyclopedico* NOUS NE POURRIONS CHOISIR POUR L'ENTERET DES MALADES, UNE GUIDE PLUS ECLAIRÉE, NI ADOPTER UNE DOÇTRINE PLUS INSTRUCTIVE, PLUS SAGE, ET PLUS CONSOLANTE. Nihil revera vel saltem paucissima iisdem observationibus addenda supersunt, ut tanti momenti argumentum perficiatur: huic operi titulus est OBSERVATIONS SUR LES SERVICES AUPRES DES MALADES. Tanta sane utilitas ex his observationibus trahi posset, ubi accurate istæ executioni mandarentur, ut maxime expediret prædictum opusculum clarissimi auctoris in linguam etiam italicam converti, ut latius pateret, magisque cognosceretur; id quod etiam vergeret in maximum Nosocomiorum aliorumque piorum locorum emolumentum, si quantum permitterent eorum circumstantiæ, prædicta monita observarentur. Hæc longe utiliora pro humana ac pia ægrorum cura evaderent, quam plures aliæ dispositiones & systemata, quæ pro locis piis a

quibusdam proponuntur arbitratu proprio sine ratione & ullo ratiocinio medico vel philosophico.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI, seu DIACODII.

Rec. Capitum papav. alb. immatur. & a seminibus purgator. libram unam.

Incisa & contusa macerentur in aqua per duodecim horas; postea ebullitioni exponantur per horæ quadrantem in

Aquæ communis libr. quatuordecim,

Colaturæ expressæ addantur

Sacchari libræ quinque, clarificentur, & coquantur usque ad consistentiam syrupi.

Interne præscribitur nunc solum, ut lambitur, nunc additum alicui mixturæ, vel emulsioni vel alteri potioni; pro pueris vel infantibus ab una drachma ad quatuor, & pro adultis ab uncia dimidia ad duas.

SYRURUS PERUVIANI CORTICIS.

Rec. Pulv. crassi cortic. peruvian. unc. tres,
Vini rubri generos. libr. duas,

Infundatur per biduum in vase clauso; deinde percoletur tinctura & servetur seorsim sub nomine = TINCTURA PRIMA. Deinde Residuum prædictæ tincturæ ebullitioni exponatur in aquæ communis s. q.

Colatura fortiter expressa ponderis sex circiter librarum servatur, ut clarificentur

Sacchari libræ tres. Ebulliat postea usque ad consistentiam densiorem syrupo; ac tum addatur PRIMA TINCTURA, & vix post primas ebullitiones syrupus ab igne removetur & servatur.

Administratur interne adultis a dimidio unciæ ad duas passim addendus mixturis & ubi addatur iis, quæ cum decocto chinæ parantur, dum gratia quædam eis conciliatur, ea quoque eodem tempore obtinetur utilitas, ut aliqua ratone ipsius vis & efficacia roboretur Adhibetur etiam in præscriptione electuariorum; quo in usu major dosis præscribitur. Pueris autem vel infantibus etiam solus præbetur paulatim vel ore lambendus vel alicui convenienti vehiculo adjunctus ab una drachma ad quatuor & amplius pro rei necessitate.

Hunc quoque syrupum præterire nolui in hac pharmacopæa, ne infantes etiam in primo vitæ statu congruo ac satis sæpe efficaci medicamine privarentur, maxime cum hujus remedii usus sit ipsis facilis sumtionis, longe vero difficilioris sit pro infantibus usus chinæ vel alterius similis remedii, nisi sub hac forma administretur.

Eadem de causa nec omittere quidem volui SYRUPUM PAPAVERIS ALBI. Nam præter quam quod usus hujus syrupi ægrotis omnibus cujuslibet ætatis in pluribus casibus multum utilis sit, maximam habet utilitatem pro infantibus, quoties præscribendum sit OPIUM, cum syrupus iste fere æqualiter ac tuto operetur ut opium, & quin quidpiam incommodi oriatur, quod ab usu opii oriri facile posset, a quo propterea

in hac ætate abstinere semper consultius est. Idem quoque vices explere potest utilius electuarium, quod dici solet REQUIES NICOLAI & apud mulieres inter nos DORMIA appellatur, quo ipsæ aliquando effectuum ignaræ ac sæpe ut propriæ quieti consulant, inhumane abutuntur cum maximo non raro infantium detrimento, cum in hoc electuario non parum opii contineatur. Hic antiquissimus usus vel potius abusus opium seu dormia administrandi tam generatim & frequenter, ut fit, proscribendus prorsus esset, ejusque loco, ubi necessitas postularet, subrogandus esset syrupus papaveris, licet non raro contingat præposterum esse etiam hujus usum, cum sæpe opposito remedio obtineatur vere utilis effectus, qui ab opio expectatur, cum nempe tollenda est causa incommodorum in infantibus ad ipsorum quietem & salutem comparandam, qua in re opportunus est usus SYRUPI CICHOREI CUM RHEO, cui non raro prodest additio portionis MAGNESIÆ CALCINATÆ, & interdum etiam usus simplicis magnesiæ, & alicujus aromatis, ut semen fœniculi, anisi &c. Quo unius vel alterius remedii genere pro variis circumstantiis longe tutius curantur, quam usu tam noxiorum opiatorum, seu aliorum remediorum, quæ in casu nostro frustra adhiberentur ad tormina sedanda, atque ad acida primarum viarum involvenda & expellenda. Cæterum accidit interdum nullum remedium necessarium esse, sed exigi solum majorem in matre vel nutrice affectum & curam.

In hac pharmacopæa alter quoque syrupus locum debet habere, qui vices gerat syrupi chi-

næ, atque huic substituatur in iis præsertim casibus, in quibus illo utendum sit, ut forma detur alicui electuario, vel ut addatur corroborantibus mixturis, aut ad alios similes usus. Equidem verum est, hoc syrupi genere medicinam carere posse, ut cæteris etiam carere posset, cum illius quoque sicut & aliorum vices sufficí ea ratione possint, quam indicavi in monitis No. XIII. At quemadmodum aliqua ex hujus generis præparatis multis de causis sæpius congruere possunt præsertim in xenodochiis, uti etiam syrupus chinæ: sic expedire maxime potest in promtu habere syrupum stimulantis naturæ vis cujusdam intensæ, & permanentis, similisque syrupo chinæ, ut huic alter substitui ex æquo possit, vel saltem illius rarior fiat usus. In hunc finem absynthii syrupus conducere potest. Verum cum a multis ob indolem amaritiei suæ vel difficile, vel nullatenus toleretur; cumque observaverim sæpe numero amara maxime intensa pluribus in circumstantiis ad finem consequendum aptiora esse, ubi alicui substantiæ adstringenti conjungantur, æmulantia hac ratione vim, & actionem chinæ; sic utiliter uti possumus alio syrupo, qui duas illas proprietates complectatur. Syrupus iste eo fere processu fieri posset, qui pro syrupo chinæ adhibetur, substitutis loco chinæ sex unciis corticis viridis salicis, & duabus quercus pariter viridis.

TARTARUS EMETICUS s. ANTIMONIATUS, s. *tartris potassæ stibiatus.*

Rec. Pulver. Algarotti abluti & exsiccat. unc. quatuor cum dimid.
Cremor. tartar. unc. decem.

Coquantur leniter per horam dimidiam in vase vitreo cum

Aquæ destillatæ libris triginta. Liquor deinde filtretur & evaporetur donec in liquoris superficie cuticula salina tenerior appareat. Tum removeatur ab igne & crystallisationi exponatur. Sale concreto, deinde remoto continuetur crystallisatio residui liquoris, donec nihil ultra crystallisetur. Crystalli omnes ita collectæ & exsiccatæ simul in mortario non metallico terantur in pulverem, & vase bene clauso serventur.

Quovis in casu interne præscribatur tartarus emeticus, tam solutus exhibetur, quam in pulvere. Miscetur etiam præscriptus tanquam alterans remedium cum mixturis, potionibus, aliisque vehiculis vel remediis, quæ dantur sub forma electuarii, & pilularum, sed in his casibus opus est observare cautiones illas, quas circa usum OPII exhibuimus, iisdem rationibus ibidem allatis. Nunquam solus præbetur in pulvere, sed semper cum aliis pulveribus ejus indolis, ut passim ab ejus mixtione virium incrementum accipiant, & reddant; hinc ab aliquibus simul cum cremore tartari frequenter præscribitur; quæ mixtio a quibusdam dicitur pulvis resolvens. Exhibetur etiam multis aliis remediis conjunctus. Cl. *Lassone* observavit, tartarum emeticum mixtum cum æquali portione salis communis, & solutum in aqua, naturam potius induere purgantis remedii, quam emetici. Additur Ipecacuanhæ ad hujus vim augendam, cum emeticum fortius ac celerius requiritur.

Dosis autem hujus remedii est, cum ut emeticum datur, in pueris unius anni ab una quar-

ta grani parte ad dimidium grani, in ætate duorum vel trium annorum a dimidio grani ad unum, in ætate majori usque ad annos octo circiter fortioris temperamenti ab uno grano ad unum cum dimidio; in adultis demum a duobus ad tria vel quatuor & interdum usque ad sex grana; & ubi addatur Ipecacuanhæ ob finem, quem diximus obtinendum, præscribitur a dimidio grani ad unum granum. Quod si tartarus emeticus pro varia ægrotorum indole & temperamento in minori dosi, quam opus sit pro emetico, præscribatur, tunc passim agit ut laxativum remedium; & in dosi adhuc minori præscriptus operatur ad instar alterantis remedii, sub cujus forma si rite administretur, in curandis morbis optimi effectus obtinentur. Cæterum in aliquo casu ob continuatum & diu auctum ejusdem usum ad instar alterantis remedii in adultis perveniri potest usque ad grana decem, quindecim, viginti, triginta & amplius. Sed illud moneo, cum tartarus potissimum ut emeticus datur, tutiorem ac meliorem eundem subministrandi rationem esse ejus præscriptionem in aqua soluti vel altero apto vehiculo prout res exigit. Habet enim simplicior hæc forma id commodi, ut non æquabilissime tantum per omne fluidum distributus sit & maneat tartarus emeticus, sed etiam cum ægri alii aliis in vomitum magis proclives sint, his singulis horæ quadrantibus cochleare liquoris sumendo, accuratiori facta tartari divisione dimidiæ, tertiæ &c. partis grani, donec tandem effectum suum edere incipiat, a periculo nimis violenti vomitus tuti sint.

Tartarus emeticus in LIMONEA solutus, est potio multum efficax, commoda, jucunda, quæ

gratior adhuc effici potest additione alicujus syrupi. Hæc forma præbendi tartarum emeticum aptissima est præsertim pro infantibus, & pro quolibet alterius ætatis & conditionis, qui ægre ferat vel respuat medicamentorum usum, eaque præscribitur summo cum fructu, dummodo doses, ut opus est, temperentur, tam ad scopum emetici ut vomitus cieatur, quam laxativi, tum etiam alterantis remedii. Atque in his omnibus casibus facillime doses per solutionem metimur, ut antea dictum est de tartaro ut emetico. Rursus ubicumque indicetur usus tartari emetici, expeditior est forma prædicta non solum ob facilem & jucundam, ut diximus, tartari emetici sumtionem, quæ sub alia forma aliquando præscribi non posset, sed etiam quia vices explere potest aliarum præparationum antimonialium, quæ præberi non possent interdum ægrotis sub formis ipsarum propriis.

Solutus adhiberi quoque potest pro irritante clystere. Commendatur præterea ad usus externos pro ablutionibus & balneis.

Sed aliæ etiam cautiones præ oculis haberi debent in hoc remedio tantopere energico præscribendo. Cum administratur solutus, semper utendum est aqua destillata; curandum est quoque, ut toties vas agitetur, quoties sumenda est solutio ab ægrotis. Si addatur aquæ, in qua solvatur exigua portio cremoris tartari, res optima fiet: sic enim impedietur ipsius dissolutio, quæ aliquando posset contingere. Aliqui opinantur meliorem fieri solutionem tartari emetici, si antea in aqua immittantur æquales partes salis ammoniaci; sed verentur alii, ne, cum id fit,

ex mixtione cum sale ammoniaco compositum exurgat, quod nimia vi operetur, & aliqua suspicione non careat. At ego testari possum me sæpe vidisse ab aliis præscriptam mixtionem prædictam non solum caruisse periculo, sed etiam optimos effectus peperisse.

Tartarus emeticus in aqua vel vino solutus additur præscriptionibus medicis, majori utilitate locum tenere potest VINI ANTIMONII parati cum VITRO ANTIMONII vel aliarum similium antimonialium substantiarum, cum hæc alia præparata ob inæqualem solutionem pro diversis vinis, ac pro diverso, & inconstanti gradu oxigenationis metalli adeo tuta non sint, quemadmodum est usus tartari emetici soluti.

Tartarus vero emeticus, qui tutior sit, uniformior, suisque in effectibus constantior, est ille paratus cum antea dicta calce antimonii, cum sit hæc calx sive oxydum in eodem semper statu & gradu oxygenationis, quod multum necessarium est, ut tartarus his, quas diximus, proprietatibus præditus sit. *Sande & Hahnemann* crediderunt tartarum omnem emeticum non crystallisatum rejiciendum esse ob tam multiplices adulterationes, ut ajunt, quibus subjacet.

TARTARUS SOLUBILIS sive TARTARISATUS s. *tartris potassae.*

Rec. Salis tartari alcalini quantum vis.

Dissolvatur in duodecuplo aquæ puræ, & ebullienti dissolutioni successive adjungatur cremor tartari in tenuissimum pulverem redactus

ad punctum saturationis; liquor saturatus adhuc dum calet filtretur & leni-calore ad siccitatem evaporetur; & inde enata massa salina in vase probe obturato servetur. Sed ea cautio in operatione observetur, ut in fine evaporationis continuo spathula lignea substantia agitetur, & exsiccatio fiat massæ paullatim per vices, ut sal candidior maneat & protegatur ab aliis alterationibus, quas pati posset.

Interne præscribitur ut laxativus a duobus drachmis ad quatuor, & etiam ud unciam unam fere semper solutus in aqua, vel sero lactis, vel alio vehiculo, & sæpe miscetur cum aliis purgantibus remediis. Si ut alterans remedium præscribatur, datur a dimidio drachmæ ad drachmas duas usque ad quatuor, frequenter solutus in aliquo opportuno fluido, vel sub forma electuarii, nunc cum simplici melle, nunc aliis diversis ingredientibus mixtus. Aliqui hunc laudant etiam ad usus externos adhibitum in solutione

Hoc vero sal neutrum adeo virtute æquipollet aliis salibus neutris majoris expensæ, ut cum eodem exitu adhiberi illud possit loco vel ipsius TERRÆ FOLIATÆ TARTARI, de qua propterea dicere præterivi. Immo hæc substitutio plures habet utilitates: nam præterquam quod multo magis, ut dixi, sit œconomica ipsa præparatio, longe expeditior & facilior est præparatione terræ foliatæ: ipsa præterea exhiberi potest etiam sub forma electuarii, & etiam in pulvere vel solo vel mixto cum alio ingrediente; sub utraque autem hac forma, & multo minus sub ultima terra foliata præscribi non posset,

cum ipsa facile in liquorem convertatur; hinc nonnisi ob imperitiam aliqui medici foliatam terram aliasque hujus generis substantias ad deliquescendum proclives sub his formis præscribunt, multoque pejus in pilulis.

Tartarus tartarisatus haberi potest crystallisatus, si evaporetur liquor saturus usque ad consistentiam julepi ac deinde crystallisetur; quæ quidem crystallisatio obtineri non potest, nisi fiat in loco frigido, eoque facilius, quo frigidior est locus, cum hujusmodi sal ex eorum numero sit, quæ tenacius retinent caloricum, ac ideo difficilius amittunt. Cæterum hæc crystallisatio pro scopo nostro necessaria non est, cum magis ad elegantiam pertineat. Observatum jam est ad saturationem duarum drachmarum alcali tartari postulari 295 grana circiter cremoris tartari. In hac operatione melius est copiam cremoris tartari abundare, quam copiam alcali, quod alcali præterquam quod tartarum tartarisatum efficiat deliquescentem, medicas quoque qualitates salis perturbat, & alterat. Sic etiam cum tempore ebullitionis solutionis salis neutri, hæc alcalini quidpiam suscipiat, hinc prope finem ebullitionis, cum jam ad formam julepi accedit, aliquid addatur cremoris tartari in subtilissimo pulvere per varias vices, donec non amplius effervescat.

TINCTURA ANODYNA, seu OPIATA, seu THEBAICA.

Rec. Opii puri pul. unc. duas,
Spiritus vini unc. quatuor,
Vini albi generosi libram unam.

Digeratur mixtio, vel exposita soli, vel in loco modice calido, donec liquor saturate tinctus fuerit, & usque ad perfectam solutionem opii Tunc filtretur & servetur.

Hæc tinctura substituitur sic dicto LAUDANO LIQUIDO, & quælibet tincturæ drachma continet grana septem cum dimidio opii.

Interne præscribitur cum aliquo simplici vehiculo, vel addita alicui mixturæ ac interdum alicui electuario. Tinctura hæc utilius ita præscribitur loco opii, cum opium in electuario, vel pilulis eam utilitatem non habeat, quam habet tinctura, distribuendi nempe æquabiliter per singulas massæ portiones particulas opii.

Præscribitur vero in infantibus duorum usque ad annos quinque, licet rarius in hac ætate, a duabus ad tres guttas; in infantibus majoris ætatis usque ad guttas decem; in adultis demum ab octo usque ad triginta guttas & amplius pro rei circumstantiis spectata maxime diuturnitate usus istius remedii, cum æger huic assuetus suscipere possit sine damno etiam plures ejusdem tincturæ scrupulos.

Sæpius etiam contingit eam adhiberi pro clysteribus mixtam cum congruo vehiculo. Utimur quoque eadem externe pro fricationibus vel sola, vel frequentius simul cum aliquo linimento, vel addita alicui cataplasmati vel unguento.

TINCTURA ASSÆ FOETIDÆ.

Rec. Assæ fœtidæ pur. & contus. unciam unam misce cum aliqua portione arenæ subtilis

optime lotæ & exsiccatæ; deinde digere leni calore vas sæpius agitando per sex dies cum

Spiritus vini rectificat. unc. sex; deinde filtra & serva.

Utimur interne a decem guttis ad scrupulum unum & usque ad drachmam addenda alicui mixturæ; eademque uti possemus pro clysteribus, & etiam externe. Hæc tinctura in curatione pauperum locum optime tenet TINCTURÆ CASTOREI, quæ longe majoris expensæ est.

TINCTURA CALAMI AROMATICI.

Rec. Radic. Calami aromatici unciam unam & semis, & conscissæ affundantur

Spiritus vini unciæ sex.

Digeratur vase clauso per decem & amplius dies sive usque ad sufficientem extractionem, tinctura filtretur & servetur.

Exhibetur interne ab una drachma ad duas raro sola, frequentius cum aliquo vehiculo, vel addita alicui mixturæ; merito habetur ut commodum succedaneum tincturarum, quæ ex aromatibus exoticis magni dispendii parantur.

TINCTURA CANTHARIDUM.

Rec. Cantharidum pul. unciam unam,

Spiritus vini rectificati libram unam,

Digeratur in vase clauso per triduum & filtretur per chartam.

Ad usus internos adhibetur raro, licet paullo frequentius quam cantharides in substantia, quarum loco, ubi CANTHARIDUM usus fiat, expedit hanc formam adhiberi, adhibetur, inquam, a tribus guttis ad sex, decem, viginti usque ad quadraginta non ultra, sed aucta caute & paulatim magnaque prudentia ejus dosi & sumta per varias vices & semper cum aliquo vehiculo, uti cum aqua, vel meliùs cùm mucilaginoso, sive demulcenti, ut decoctum altheæ &c. Hæc etiam præparatio Cantharidum si misceatur cum camphora, aliquorum judicio, tutius adhibetur, quod utrum sit verum, pronunciare non audeo. Huc revocanda sunt etiam, quæ dicta sunt de usu CANTHARIDUM in substantia. Sed videtur etiam tinctura cantharidum præcipue destinata externis usibus pro fricationibus vel ipsa sola, vel simul cum linimento volatili &c.

TINCTURA MARTIS.

Rec. Limatur. Martis purissim. unc. sex,
Cremor. tartar. pul. libr. unam.

Immissis vitro sufficiens aquæ communis quantitas superaffundatur; calori digestionis per octo dies cum iterato motu mixtio exponatur; tum coquatur per horas aliquot, filtretur & liquor salinus ad consistentiam syrupi fluidioris evaporetur. Addantur frigefactæ tincturæ ad arcendum mucorem spiritus vini rectificati unciæ tres, & sic parata servetur in vitro bene clauso.

Semper exhibetur interne a viginti guttis ad dimidium drachmam, aucta gradatim dosi, quam etiam excedere potest, eaque adhibetur vel addita alicui mixturæ vel simpliciter cum aqua vel aliis vehiculis, iis tamen exceptis, quæ aliquod principium adstringens contineant ob rationes, quas protuli in opusculo de china lutea. Ea vero vehicula, quæ adhibentur, plus minusve gratiora effici possunt per additionem alicujus portionis sacchari, vel mellis, vel syrupi; cumque observatum sit multum prodesse hujus remedii mixtionem cum aliquo aromate, non secus ac aliorum martialium, hinc longe melior & aptior esset usus syrupi corticis citri aut Elæosacchari citri, vel usus tincturæ calami aromatici &c.

Hæc tinctura locum vere tenet MARTIS SOLUBILIS seu TARTARISATI *Vogler*, quod summopere commendavit *Pipenbring* & alii sub nomine TARTARI SOLUBILIS MARTIALIS ac vel ipsis substitui potest GLOBULIS vel BOLIS MARTIALIBUS. Rursus commode & utiliter hæc vices explet TINCTURÆ EX VINO, SUCCO POMORUM, aliarumque hujus generis. Habet autem tinctura nostra non injucundum saporem, ac spectari potest ut pulcherrima ac efficacissima tinctura.

TINCTURA MYRRHÆ SPIRITUOSA.

Rec. Myrrhæ pul. unc. duas,

Misceantur cum aliqua portione arenæ optime lotæ & exsiccatæ; deinde fiat digestio leni calori & frequenti agitatione vasis per decem circiter dies cum

Spiritus vini rectificati libra una, ac postea filtretur & servetur.

Interdum præscribitur ad usus internos a quindecim guttis, ad triginta & usque ad drachmas duas cum aliqua mixtura vel cum aliquo alio vehiculo. Sed communius externe præscribitur aliquando sola, sed frequentius addenda alicui vehiculo ad usum collutorii, vel ablutionis, vel fomentationis &c.

Post extractam tincturam, quod ex ea manet residuum, exponi poterit novæ digestioni in novo spiritu vini ad præparationem alterius tincturæ servando. Residuum autem si ebullitioni exponatur in larga aquæ copia & percolata decoctio saltem per viginti quatuor horas committatur quieti ac iterum percoletur; postea vero liquor ebullitioni exponatur usque ad consistentiam mollis extracti iis cautionibus, quas dedimus, ubi de extractis; ac deinde collocetur in vasis argillosis & reponatur in hypocausto vel alio calido loco, donec ad solidam consistentiam pervenerit; his operationibus obtinebitur EXTRACTUM MYRRHÆ AQUOSUM, quod hic recensere volui occasione data, ut residuum illud, quod communiter negligi solet, ad usum aliquem retineatur, qui aliunde nequit esse in medicina omnino superfluus. Hoc extractum adhibetur interne a quindecim granis ad unum scrupulum, usque etiam ad drachmam aliquando in solutione, & frequenter in pulvere simul cum Saccharo, quæ mixtio vocatur SACCHARUM MYRRHÆ *Hoffmanni*.

UNGENTUM BASILICUM.

Rec. Ceræ citrinæ,
Resinæ,
Sebi ovilis,
Colophonii,
Terebinthinæ an. lib. dimid.
Ol. olivarum libram unam.

Hæc liquata moderato calore percolentur; intus unguento agitato, donec refriguerit, & postea servetur.

UNGUENTUM CERUSSÆ.

Rec. Cerussæ pul. libras duas cum dimidio,
Ceræ citrin. unc. sexdecim,
Ol. olivarum libras quinque.

Liquato oleo cum cera addatur cerussa & fiat per continuatam mixtionem unguentum.

Hoc unguentum locum tenet pro aliis unguentis saturninis, ut sunt UNGUENTA MINII, LYTHARGYRI, NUTRITI &c.

UNGUENTUM DIGESTIVUM, seu COMMUNE, seu EMOLLIENS.

Rec. Olei olivarum libr. unam,
Ceræ unc. sex.

Liquentur simul, & agitetur massa, donec frigescat, deinde servetur.

Hoc unguentum vices supplet unguenti altheæ, & malvæ. At sæpius iterari debet ejus præparatio; illudque si fortius desideretur, misceri potest cum UNGUENTO BASILICO. Huic unguento digestivo aliqui præferunt in quibusdam casibus unguentum hoc modo paratum, quod dici etiam ab aliquibus solet UNGUENTUM TEREBINTHINÆ. Sumantur terebinthinæ unciæ tres & subigantur cum tribus vitulis ovorum recentium; deinde addantur olei olivarum drachmæ sex. Sed illud monendum, ut toties hoc unguentum paretur, quoties adhibendum est.

UNGUENTUM MERCURIALE GRISEUM seu NEAPOLITANUM.

Rec. Mercurii vivi,
Axungiæ porci aña partes æquales.

Teratur mercurius cum exigua axungiæ quantitate, donec penitus ille disparuerit, nec amplius sit conspicuus, nec oculo quidem armato lente acutissima. Tum reliqua axungiæ quantitas sensim addatur, & dum hæc trituratio per horam adhuc continuatur, diligenter subigatur cum mercurio: deinde loco frigido servetur.

Adhibetur in fricationibus ab uno scrupulo per diem usque ad drachmas duas; quæ dosis augetur vel minuitur pro rei necessitate & circumstantiis, continuato ejus usu usque ad valetudinem, nisi rationes occurrant, quæ cogant ejusdem usum interrumpere: quo in casu usus suspenditur, & postea iterum sumitur, pro ut postulat res. Dosis autem passim necessario

adhibenda ad integram morborum venereorum curationem est a tribus ad quatuor uncias unguenti. Nuper mihi retulit clar. doctor *Volpi* se in hoc unguento expertum esse optimum, promtumque cicatrisans remedium Idem unguentum inservire optime potest etiam præparationi optimi UNGUENTI ADVERSUS PEDICULOS, ubi commisceatur saltem cum duabus axungiæ purgatæ partibus, & caute adhibeatur; ac sic temperatum tutius est UNGUENTO, quod ex MERCURIO PRÆCIPITATO RUBEO paratur.

Verum extinctio mercurii semper fieri debet in mortario marmoreo cum pistillo igneo Parari rursus debet in exigua copia maxime æstivo tempore, & sæpius renovari; ea quoque cautione, ut æstivo tempore axungia sola utendum non sit, sed ea antea sit conjungenda cum duabus drachmis SEBI OVILIS pro singulis sex drachmis axungiæ. Denique abstinendum erit a CERA cum ipso miscenda, vel TEREBINTHINA, quod ab aliquibus aliquando fit, ut facilior per terebinthinam efficiatur extinctio.

UNGUENTUM NERVINUM, s. DISCUTIENS, s. *stimulans*, s. *roborans*.

Rec. Baccarum Juniperi recent. & contusar. libr. duas, & addatur
Axungiæ porci liquatæ libra una.

Macerentur per aliquot dies; deinde coquantur levi ebullitione ad consumtionem humidi, assidua agitatione; addantur
Sebi ovilis unciæ sex; dein percolentur &

prælo calefacto massa exprimatur ; & frigefactæ addantur denuo

Olei baccarum lauri unciæ quatuor ; misceantur & serventur.

Si magis activum desideretur, fieri potest additio camphoræ vel OLEI CORNU CERVI, vel OLEI TEREBINTHINÆ pro variis circumstantiis.

Prædictum unguentum præstantius est UNGUENTO, ut dicitur, ALABASTRI, & vices explet UNGUENTI, ut ajunt, AD CONTUSA, & BUTYRI JUNIPERI.

UNGUENTUM CONTRA SCABIEM.

Rec. Sulphuris pul. unc. quatuor,
Sal. marin. pul. unc. duas,
Axung. porcin. purificat. libr. unam.

Miscentur hæc omnia accurate, & fit unguentum, cujus ope fricatur palma manus, illudque universim adhibetur super articulationes ab una ad duas drachmas bis in diem.

PARS TERTIA

DE

MEDICAMENTIS,

QUÆ PARARI DEBENT EX TEMPORE,

ET DE IIS,

QUÆ BREVI TEMPORE DURANT (1).

AQUA CALCIS *

Rec. Calcis vivæ recenter ustæ libram unam.
Extinguatur successive affusis
Aquæ puræ libris decem.

Misceantur subinde spathula lignea, & post duodecim fere horas, vel simul ac calx subsederit, aqua decantetur limpida, vel filtretur, & in lagena bene clausa servetur.

Residuæ calci ubi novam aquam affundas, pari quantitate alteram calcis aquam obtinebis pro usu potissimum INTERNO.

Interne passim præscribitur a duabus unciis usque ad duodecim sumenda variis vicibus vel ipsa sola, edulcorata tamen cum melle vel syrupo, ac sæpius mixta cum lacte vel aliis liquoribus præsertim mucilaginosis. Vel ipsi chirurgi hanc adhibent vel solam, vel alicui liquori commixtam in balneis, fomentationibus, injectionibus &c. Si uncia aquæ calcis simul cum uncia

---

(1) Hæc posteriora habebunt pro indicio asteriscum. *

dimidia olei olivarum misceatur & agitetur, linimentum habetur, quod alicubi vulgo adhibetur ad combustiones curandas, nec prorsus videtur posse contemni.

Cæterum oportet, ut efficaciam & vim suam tueatur, eam custodiri in vasis exiguis, accuratissime clausis, semperque plenis. Insuper expedit tam a medico quam a chirurgo in exigua quantitate præscribi, ac sæpius ejusdem præscriptionem iterari; nec demum omittendum etiam, cum ad infirmos defertur, eam deferri oportere in vasis accurate clausis cum vitreo epistomio. Ipsam vero passam esse virium & proprietatum suarum diminutionem ex sedimento cognoscitur, quod in fundo vasis deponitur.

AQUA HEPATICA.

Videatur pars secunda, ubi de HEPATE SULPHURIS:

Præscribitur interne a tribus unciis ad sex bis, ter, quaterve in diem sumenda.

AQUA PHAGADENICA.

Videatur pars secunda, ubi de MERCURIO SUBLIMATO CORROSIVO, atque hæc ipsa pars, cum dicam de LIQUORE MERCURIALI.

AQUA THEDIANA s. TRAUMATICA, s. VULNERARIA *Theden.* *

Rec. Aceti vini

Spiritus vini rectificat. ana libram unam cum dimidio

Acidi vitrioli tenuis unc. octo. Misceantur & usui serventur.

Non adhibetur hæc aqua, nisi externe pro fomentationibus.

AQUA VEGETO-MINERALIS *Goulardi*, s. SATURNI, s. *acetis saturni in aqua solutus.*

Rec. Aceti saturni unc. unam,
Aquæ destillatæ libras duas. Misce.

Impenditur tantum ad usus externos in fomentationibus, ablutionibus, injectionibus, collyriis &c., & interdum pro efformandis cataplasmatibus tanquam ipsorum activum constituens. Addunt aliqui huic aquæ aliquando portionem aliquam spiritus vini nunc simplicis, nunc camphorati.

BALSAMUM SATURNI.

Vid. ACETUM SATURNI par. II.

CATAPLASMA EMOLLIENS, s. *laxans.*

Rec. Pulv. herbæ malvæ unc. quatuor
Radicis altheæ unc. duas
Decocti emollientis q. s. ut fiat ope coctionis cataplasma.

Hic substitui potest etiam cataplasmati vulgo dicto ANODYNO, quod conflatur ex pane & lacte. Hisce duobus aliud suffici posset, quod fieret ex pane trito, & decoctione emolliente. Sed ego semper hortarer, ut communius adhibe

retur, quod primo processu conflatur, cum non solum minoris dispendii hoc sit, sed etiam sæpe utilius evadat. Cæterum in utroque casu ego semper adhiberem loco lactis decoctionem emollientem ob rationes allatas, cum dictum est de ALTHEA part. 1. Defectu malvæ res eodem cedit, si utamur foliis altheæ aut alterius ejusdem generis herbis.

CATAPLASMA RESOLVENS, s. DISCUTIENS, s. *stimulans*.

Rec. Herbæ pulegii unc. octo,
Baccarum Juniperi unc. tres,
Flor. chamomillæ unc. duas.

Omnia in pulverem redacta misceantur simul, & fiat cum s. quantitate decocti absynthii cataplasma.

CLYSMA ADSTRINGENS, s. ANTISEPTICUM, s. *roborans*.

Rec. Decocti chinæ artificialis uncias decem.

Addi potest aliqua portio terræ catechu vel camphoræ, aut unius vel duorum granorum opii, aut duorum simul posteriorum hujusmodi ingredientium pro variis rerum circumstantiis.

CLYSMA ANTISPASMODICUM, seu ANTIHYSTERICUM, seu *ad spasmos a debilitate*.

Rec. Infus. flor. chamomillæ unc. octo,
Ol. ejusdem unciam unam, misce.

Fit magis efficax & pro rei circumstantia opportunius, si addatur aliqua pars assæ fœtidæ solito modo solutæ loco olei vel etiam præter oleum.

CLYSMA EMOLLIENS, seu COMMUNE, seu *simplex ad involvendum.*

Rec. Decocti emollientis uncias decem. Detur.

Juvat interdum unciæ olei olivarum vel seminum lini commixtio.

CLYSMA PURGANS seu *stimulans laxans.*

Rec. Salis cathartici drachmas sex. Solve in
Aquæ communis unc. decem. Detur.

Aliquando magis efficax redditur per additionem unius vel duarum unciarum mellis, & interdum loco aquæ simplicis convenit adjungi decoctionem emollientem; itemque defectu salis amari addi possunt tres drachmæ, vel dimidia uncia salis muriatici.

DECOCTUM COMMUNE, seu HORDEI.

Rec. Hordei mund. unc. duas.

Ebullitio fiat per exiguum tempus cum una libra circiter aquæ puræ. Ejecta hac aqua, & nova rursus adjuncta, iteratur hordei ebullitio, donec ipsum rumpatur & ad tres circiter decoct. libras redactum fuerit, & ipsius colatura præbeatur.

Hoc decoctum inservit potissimum potioni ordinariæ vasculatim sæpius in diem sumendæ. Si mel addatur decocto, obtinetur DECOCTUM, quod ab aliquibus dicitur PECTORALE & loco mellis aliquando prodesse potest additio alicujus portionis decocti liquiritiæ. Ad majorem suaveolentiam & ad gratam aciditatem, tum interdum ad utilitatem pro rerum circumstantiis addi potest quidpiam aceti, vel acidi vitriolici, simulque aliquando etiam aliquid mellis vel sacchari. Hoc cum aceti additione aliqui appellant DECOCTUM FEBRICITANTIUM. Quod si sex drachmæ cremoris tartari tribus decocti libris addantur, DECOCTUM exurgit, quod alii dicunt ANTIHYDROPICUM; cujus loco in hoc morbo sæpius utilius adhiberi potest levis INFUSIO BACCARUM JUNIPERI, quæ melius adhuc interdum congruere potest, si fiat digestio per aliquot horas baccarum Juniperi contusarum in aqua frigida. Et ubi adjiciantur drachma una nitri & uncia oximellis simplicis duabus decocti libris, DECOCTUM oritur, quod ab aliquibus dicitur ANTIPHLOGISTICUM.

Recensita decoctio effici potest dilutior magisque satura pro rei circumstantiis, & ubi bene satura desideretur, adhiberi potest plus minusve hordei prout res exigit usque ad sex uncias pro tribus decocti libris. Atque hoc modo satura decoctio hordei inservire potest pro clysteribus nutrientibus; immo & vices explere alimentorum nutrientium pro ea ægrotorum classe, qui inopia carnium laborantes jusculis carent, quibus se reficere possint viresque sustentare; atque hæc ipsa decoctio ad nutriendum adhibita reddi potest gra-

tior magisque sapida, si eidem addatur quidpiam aromatis, vel aliquando etiam aliquid mellis vel sacchari &c.

DECOCTUM CHINÆ ARTIFICIALIS.

Rec. Cortic. salicis drach. sex.
Quercus drach. duas. Hæc ruditer contusa coquantur cum aquæ communis s. q. ad reductionem unc. decem & colatura detur.

Si vero decoctum fieri debeat magis saturum, tunc augetur proportione servata quantitas ingredientium ad unciam unam & semis, atque hoc decoctum sæpius supplere potest vices veri decocti chinæ seu corticis peruviani.

DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI.

Rec. Cortic. peruvian. ruditer tusi drach. sex.
Aquæ communis libram unam. Coque in vase clauso ad uncias novem. Colatura detur.

Subministratur interne repetitis per diem vicibus ipsum solum cochleatim & aliquando vasculatim. Sæpe autem inservit variis conficiendis mixturis atque ideo non raro præscribitur aliis remediis junctum; ac ubi res postulet magis saturam decoctionem, augetur dosis chinæ pro qualibet aquæ libra usque ad unciam unam. Utimur etiam hac decoctione nunc sola nunc mixta aliis remediis pro collutoriis, clysteribus, fo-

mentationibus, ablutionibus &c., pro quibus potissimum usibus subrogari commode & cum magno œconomiæ emolumento potest vel decoctio alicujus indigenæ substantiæ simplicis, vel composita decoctio eo circiter processu, quem exposui.

DECOCTUM DIURETICUM, seu *stimulans ad renes.*

Rec. Radic. ononid. spinosæ unc. dimid.
Ebulliat in s. q. aquæ communis, sub finem addita
Radic. fœnicul. uncia dimidia & colatura libr. duarum detur.

Præbetur vasculatim pluries in diem. Expedire potest aliquando prædictam decocti dosim dilui per unam aquæ libram.

Hoc decoctum præterea explet majori utilitate vices DECOCTI sic dicti QUINQUE RADICUM APERIENTIUM; & ubi desint radices fœniculi, substitui æquali cum exitu possunt radices dauci & harum etiam defectu adhiberi possunt semina fœniculi contusa, minori tamen quantitate.

DECOCTUM EMOLLIENS sive *involvens* sive *laxans.*

Rec. Folior. malvæ unc. dimidiam.
Coquantur leniter in s. q.
Aquæ communis & colatura librarum duarum præbeatur.

Hæc decoctio esse potest loco potionis communis, & inservit pro collutoriis, fomentationibus, balneis, pro cataplasmatibus efformandis, pro clysteribus &c. Ad conficiendam vero magis saturam decoctionem, qualis pro dictis usibus frequenter requiritur, si usum potus excipiamus, in quo passim tam satura esse non debet, addi possunt prædictæ formulæ duæ drachmæ usque ad unciam dimidiam radicis altheæ, & augeri simul possunt folia malvæ a sex drachmis ad unciam unam. Si pro circumstantiis fieri potest, melior est usus foliorum viridium malvæ quam siccorum, aucta tamen recentium dosi. Defectu denique malvæ adhiberi possunt folia vel radix altheæ. De aliis diversis hujus decocti usibus & ipsius substitutionibus, quæ fieri utiliter possunt vid. quæ diximus, ubi de althæa par. I.

Prædicta decoctio si cum æquali infusi sambuci portione conjungatur, simulque junctis duabus hujus mixtionis libris addatur uncia oximellis simplicis, efficitur potio, quæ ab aliquibus appellatur POTIO PECTORALIS. Quod si addatur aliquid liquiritiæ vel aliquid de istius infuso, potio tam decocti simplicis emollientis, quam mixti cum dicta infusione sambuci gratior efficitur.

DECOCTUM sic dictum LIGNORUM.

Rec. Radic. saponariæ,
Ligni Juniperi,
Stip. dulcamaræ ana unc. dimidiam
Conscissa coquantur per exiguum tempus in s. q.
Aquæ communis. Colatura librarum trium

subministretur, vasculatim sumenda pluries in diem.

Hæc vero decoctio adhibetur loco decocti sarsæ parillæ, aliorumque, quæ dici solent decocta purificantia, vel depurativa, eadem prorsus utilitate immo & majori. Ad magis saturam decoctionem colatura reducitur ad duas tantum libras. Gratior decoctio redditur per additionem sub finem unius drachmæ liquiritiæ usque ad duas. Juvat interdum in aliquibus casibus, ut in morbis venereis &c., additio sub finem decoctionis alicujus portionis corticis mezerei.

DECOCTUM RESOLVENS, seu *roborans saponaceum.*

Rec. Radicis taraxaci,
Cichorei ana unciam dimidiam.
Coquantur cum aquæ s. q. Colatura librarum duarum detur.

Sumitur aliorum more vasculatim. Ad aliquam gratiam ei conciliandam addi potest sub finem drachma una seminis anisorum contusi aut alterius aromatis. Prædicta decoctio pro clysteribus etiam utiliter præscribitur, sed tum sæpius expedit magis satura decoctio.

ELÆOSACCHARUM CITRI. *

Rec. Olei essential. cortic. citri scrupulum unum.
Sacchar. sicci alb. unciam. Misce terendo in mortario marmoreo seu vitreo. Ubi ad

aliquot dies custodiendum sit, illud servari oportet in vasis vitreis accurate clausis cum epistomio vitreo.

Non nisi interne adhibetur, ac frequentius addendum aliquibus pulveribus, vel mixturis vel aliis potionibus &c. vel tamquam corrigens ad gratiam conciliandam, vel etiam tanquam subsidium ad vim remediorum augendam. Cum in pulvere adhibendum non est, locum elæosacchari supplere potest SYRUPUS CITRI.

Hac ipsa ratione, quam descripsi, cætera omnia elæosacchara præparantur. Parantur etiam optima elæosacchara citri, vel aurantii, si fricetur saccharum adversus poma integra aurantii, vel citri, donec saccharum bene imbutum fuerit olei essentialis corticum sapore & odore, ac tum saccharum humidum, quod erit, abraditur & residuum sacchari continuando teritur. Integerrimum oleum est, quod horum pomorum corticum cellulis continetur; cumque per fricationem sacchari adversus poma hoc saccharum eo puro oleo imbuatur, præferenda hæc operatio priori videtur, cum per destillationem illis oleis semper aliquid suavitatis adimatur.

ELECTUARIUM ADSTRINGENS seu ANTIDYSENTERICUM sive *stimulans ad intestina.*

Rec. Pulv. cortic. Hippocastani drachmas sex,
Terræ Catechu drachmas duas,
Ipecacuanhæ gran. viginti,
Opii puri soluti in s. q. vini grana quatuor.

Syrupi corticis peruvian. q. s. ut fiat electuarium & detur in vase optime clauso.

Dosis unius drachmæ præbetur sub initium bis vel ter in die sumenda, quæ pro circumstantiis augetur. Hanc formulam quemadmodum & plures earum, quæ in hac tertia parte inveniuntur, recensere malui, quam præterire, cum experientia nixus earum non paucas putem non esse inutiles, immo non raro valde proficuas, dummodo accurate adhibeantur, & pro re nata & indole morbi sapientis medici judicio & peritia accommodentur, habita nempe ratione diversorum casuum, indolis morbi, ægroti naturæ aliarumque circumstantiarum, quæ earum usum aliquando in eodem morbo vel admittere vel respuere possunt, quod semel monuisse sufficiat.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE, seu *roborans.*

Rec. Pulv. subtilis cortic. salicis unc. unam.
Radic. tormentillæ drach. duas.
Extract. absynth. drach. sex: misceantur in mortario vitreo seu ligneo cum
Mellis optimi q. s. ut fiat Electuarium.

Præbetur a quatuor scrupulis ad drachmas duas binis vel ternis horis. Sæpius utilius evadit, si addantur tres drachmæ salis ammoniaci in pulverem redacti, adhibeaturque loco mellis syrupus corticis peruviani. Quod si succedaneum præscriptum loco chinæ satis ad scopum non fuerit, tum confugiendum erit ad chinam. At sive succedaneum chinæ sive ipsa china adhibea-

tur, plurimum proderit ad assequendum propositum scopum, si alternis vicibus iis temporis intervallis, quibus electuarium non sumitur, præbeatur ægroto aliquod cochleare sumendum alicujus EXCITANTIS MIXTURÆ, atque ex mixturis utilior erit, quæ tanquam præcipuum ingrediens complectatur opium, vel laudanum liquidum. Quæ administrationis ratio utilis pariter est in usu chinæ sub alia forma præscriptæ.

ELECTUARIUM ANTIHYDROPICUM seu *stimulans in Hydrope.*

Rec. Pulv. cortic. salicis unc. unam,
Cremoris tartari drachmas sex,
Roob Sambuci,
Juniperi ana uncias duas. Misceantur cum
Oximellis simplicis s. q. & fiat Electuarium.

Præscribitur ab una ad duas drachmas sumendum singulis binis vel ternis horis, vel solutum in aliquo vehiculo aut obvolutum hostia vel nubecula, vel etiam ipsum simpliciter ore sumendum. Simili ratione præbentur etiam electuaria, de quibus infra dicendum, ut & prædicta.

Aliquando prodest formulæ nostræ subtrahi cremorem tartari, & loco cremoris convenienti dosi adjungi Electuarium diascordii; tum etiam ubi magis activum postuletur, juvat additio oximellis scillitici, omisso oximelle simplici, ea dosi, in qua scilliticum adhibetur.

ELECTUARIUM ANTISPASMODICUM s. ANTIEPILEPTICUM, sive *excitans*.

Rec. Pulv. cortic. salicis drachmas sex,
Radic. Valerianæ sylvestr.
Folior. aurantior ana drachm. duas,
Salis volatilis C. C. scrupulos duos,
Syrup. cortic. aurant. vel mellis q. s. ut f. Electuarium & detur.

Una drachma interne præscribitur singulis ternis horis vel pro rei necessitate sæpius sumenda. Interdum additur bono exitu aliquod opii granum vel aliqua dosis laudani, & interdum omittitur sal volatile C. C.

ELECTUARIUM LENITIVUM s. *stimulans laxans.* *

Rec. Pulpæ prunorum unc. sex,
Pulv. herb. lini cathartic. drachm. sex,
Cremor. tartar. unc. duas,
Mellis optimi q. s. ut f. Electuarium & servetur usui.

Ab uncia dimidia ad duas præscribitur ore sumendum vel ipsum solum in bolis vel solutum in aqua aut sero lactis aut alio vehiculo. Additur quoque clysteribus ut vim exstimulantem acquirant vel majorem accipiant.

ELIXIR ACIDUM *Dippellii.* *

Vid. par. II.

Præbetur in mixturis ab octo guttis usqu ad triginta non amplius. Adjunctum communi bus potionibus vel sufficienti alterius cujusvis ve hiculi quantitati datur usque ad drachmam cun dimidio per diem. Huc revocentur, quæ dixi mus DE ACIDO VITRIOLICO CONCENTRA TO in par. II., quæ suppleri possunt etiam pr iis, quæ spectant ad ELIXIR ACIDUM *Haller.*

ELIXIR ANTISCORBUTICUM sive *stimulan in scorbuto.* *

Rec. Extracti cichor. unc. unam cum semis,
Extract. Gentianæ unc. dimid. Hæc omni solve in
Succi Nasturtii aquatic. unciis sexdecin adde paullatim & successive
Ol. vitrioli rectificati drachmam unam; dei
Spiritus vini rectificati unc. tres.
Mixtione facta id totum quieti committitu per viginti quatuor horas; dein decan tatur & servatur.

Præscribitur interne tam ipsum solum, quan mixtum cum aliquo vehiculo ab uno cochlear ad quatuor; atque cum aliquo vehiculo commix tum præscribitur etiam sub forma collutorii.

ELIXIR STOMACHICUM seu BALSAMICUM TEMPERATUM seu *roborans.* *

Vid. par. II.

EMULSIO COMMUNIS seu AMYGDALINA.

Rec. Amygdal. dulcium unc. unam;
Aquæ communis libras duas.

Amygdalas in mortario lapideo contunde; aquam simul paullatim affundendo; dein cola & detur.

Interne præscribitur pro ordinaria potione, iut subministranda cochleatim pluries in die tam ipsa sola, quam aliis remediis conjuncta. Expediret usus amygdalarum cortice recenter spoliatarum. Potio vero efficitur gratior cum additione alicujus partis mellis vel sacchari, vel syrupi &c. Cum emulsio nunc tenuis, nunc spissior pro circumstantiis exigatur, hinc variat aquæ proportio: quæ mediam tenet viam, dosim habet librarum duarum aquæ pro amygdalarum uncia una. Licet hæc emulsio opportuna sit ... is in casibus adinstar potus sumenda; attamen aliquando in aliquibus parce præscribi debet, ne fiat rancida, & ventriculo inimica. Cavendum est, ne emulsionibus misceantur acida, nec spirituosi liquores.

Quod si sex Emulsionis unciis circiter aliqua portio camphoræ adjungatur, exurgit EMULSIO CAMPHORATA; & ubi loco camphoræ addatur portio nitri depurati, tunc oritur EMULSIO, quæ dicitur NITRATA seu TEMPERANS; si vero additio fiat gummi arabici cum aliqua copia mellis vel sacchari ad gratiam conciliandam; inde orta EMULSIO appellatur ARABICA.

EMULSIO OLEOSA seu MIXTURA OLEOSA, seu *emulsio artificialis*.

Rec. Olei olivarum optim. unciam unam,
Gummi-arabic. pulv. unc. dimid.
Aquæ communis unc. octo,
Mellis optim. depur. unc. dimidiam.

Mel & gummi misceantur & sufficienti aqua quantitate in mucilaginem subigantur, deind pedetentim addatur oleum sub perpetua agitatione, cui postea reliqua pars aquæ superiu determinatæ affunditur, continuata leni affusione & trituratione, usque dum omnia commixt fuerint eaque redacta ad congruam emulsioni formam.

Hæc emulsio exhibetur per duo vel tri cochlearia singulis horis vel binis vel ternis, ea demque dosis repetitur etiam majori in copia pr necessitate casus. Loco emulsionis arabicæ olec sæ hæc nostra præbetur, & adhiberi etiam po test loco linctus demulcentis; si cui placeret i præparatione loco aquæ usus emulsionis com munis, is loco aquæ ista uti posset.

EMPLASTRUM VESICATORIUM. *

Vid. par. II.

FOMENTUM EMOLLIENS.

Vid. in hac parte tertia DECOCTUM EMOLLIENS.

OMENTUM ANTISEPTICUM, seu RESOL-
VENS, seu *stimulans.*

℞. Cortic. quercus rudi modo pulv. unc. unam;
Ebulliat in s. q. aquæ communis per aliquod tempus, ac sub finem ebullitionis addatur
Herbæ scordii uncia dimidia. Colatura librarum duarum circiter præbeatur.

Fit magis saturum fomentum, si colatura t ponderis unius libræ; fit vero magis ex-iians, quod aliquando prodesse potest, si lo- aquæ adhibeatur acetum ea qua convenit pro-rtione majori vel minori pro circumstantiis. m utilitate quoque interdum adjungitur cola-æ dosis duarum drachmarum vel aluminis, salis ammoniaci &c. Rursus si deficiat scor-m, impendi possunt ejus loco flores chamomil- vel tanaceti, vel folia absynthii &c.; ac reipsa ertus sum fomentum hac ratione præparatum e fuisse proficuum. Paratur autem sic: su-ur nempe herbæ absynthii, florum chamomil-ana uncia una. Fit ebullitio in aquæ com-iis q. s. & colaturæ trium librarum addun- salis ammoniaci drachmæ tres; & ubi cola- minuatur libra una, magis saturum fomen- efficitur; & expedire potest etiam in hac paratione aliquando loco aquæ usus aceti; icium est antea.

MENTUM FRIGIDUM, seu *Schmuckeri.*

. Aquæ communis libr. quatuor,

Salis ammoniaci drachmas duas,
Nitri drachmas tres,
Aceti libram unam: misceantur ad usum.

FOMENTUM SICCUM AROMATICUM, se PRO CUCUPHIS.

Rec. Florum Sambuci,
Chamomillæ,
Folior. Menthæ ana part. æquales. Co scissa misceantur & redigantur in pulv rem in sacculis applicanda.

Unicum ingrediens sufficere ad id posse Sed observatum est plurium unionem efficere mi tionem magis aromaticam, quam separatim si gula eorum. Per additionem vero alicujus drac mæ camphoræ vel simpliciter rasæ, vel reduct in pulverem eo modo, quo diximus, ubi de ca phora in par. I., fomenti vis augeri potest.

GARGARISMA ADSTRINGENS seu ANTISI PTICUM, seu *stimulans*.

Rec. Cortic. quercus ruditer tusi unciam unan Coque cum aquæ communis libra ur cum dimidio. Colaturæ libræ unius adc
Aluminis drachmam unam,
Spiritus vini unciam unam. Misce & su ministra. Aliquando congrua esse p test omissio vel aluminis vel spiritus v utriusque.
Hoc gargarismo non secus ac aliis utim etiam pro COLLUTORIIS.

GARGARISMA EMOLLIENS seu LENIENS, seu *laxans*.

Rec. Decocti emollientis unc. decem,
Mellis despumati unc. unam: misce & detur.

GARGARISMA REFRIGERANS, sive INCISIVUM, s. DETERGENS, seu COMMUNE.

Rec. Aquæ communis libram unam,
Aceti vini,
Mellis despumati ana unciam unam.
Misce & detur.

Juvare potest aliquando additio alicujus portionis nitri in præparationi hujus gargarismi; forma quam supra præscripsimus est etiam apta in febribus ad abstergendam linguam & guttur.

HAUSTUS ANTIEMETICUS.

Rec. Salis tartar. alcalini gran. viginti, solve in
Aquæ communis uncia una.
Signetur vitrum N. 1.

Rec. Succi limoniorum,
Aquæ communis ana unc. semis.
Signetur vitrum N. 2.

Vasculum N. 1. sumat æger, & tunc immediate sumat vasculum N. 2, idemque remedium repetat pro necessitate.

Uti nolui in hoc casu aceto pro acido limoniorum; cum enim remedium hoc soleat passim

præscribi ad sedandos continuos vel frequent vomitus, usus aceti perturbatum stomachum magis vexaret saltem in maximo ægrorum numero utpote multo minus gratus gustui minusque stomacho acceptus, quam sit acidum limoniorum. Cæterum accidit interdum in aliquibus sine incommodo & eodem cum exitu acetum posse adhiberi. Id ad judicium medici pertinet. Contemnenda porro non est alia ratio, immo & aliquando cæteris præferenda, qua efficitur, ut fixus aër in ventriculo ab introductis remediis sese explicet, quæ quidem ratio est hujusmodi. Sumi magnesiæ albæ aëreatæ dimidia drachma, cremoris tartari in subtilissimo pulvere una drachma cum dimidio, misceatur dosis unica vice sumenda in vasculo vitri, cui aquæ portio quædam superinfundi debet; sumatur vero continuo initio effervescentiæ, ac statim potio sufficiens aquæ communis suscipiatur. Hac ratione a magnesia se explicat dimidia circiter pars aëris fixi quæ pro quavis maxima dosi satis est; quod si minor aëris fixi explicatio pro singulis vicibus postuletur, minuenda proportione erit ingredientium dosis.

Nihil autem prodesset prædictum remedium ad obtinendam aëris fixi in ventriculo evolutionem, si mixtio fieret ingredientium scilicet succi limoniorum cum sale tartari, ejusque sumtio ab ægro facienda retardaretur, vel per varias vices ab eodem sumeretur, ut aliqui facere solent postquam ipsam diluerint aliquo vehiculo. Hoc enim in casu cum in mixtione ingredientium sese evolveret aër fixus, antequam ipsa ventriculum ingrederentur, haberi non posset expect...

ab iisdem in eodem ventriculo aëris explicatio, nec alius haberetur effectus, nisi quem circiter pareret TERRA FOLIATA TARTARI & sic dictus Tartarus solubilis.

Monendum est rursus ad obtinendam aëris in ventriculo evolutionem, ut de hoc effectu certi simus, expedire uti magis SALE TARTARI ALCALINO quam SALE ABSYNTHII, aut aliarum plantarum ob eas rationes, quas in medium produximus ubi de ALCALI VEGETABILI FIXO parte secunda.

HAUSTUS ANTIFEBRILIS, seu *stimulans.*

Rec. Pulv. cortic. salicis scrupulos duos,
Quercus scrupulum unum,
Salis ammoniaci gran. sex,
Infusi amari unc. tres. Misceantur & dentur.

Hæc dosis est in diem repetenda singulis binis, ternis vel quaternis horis secundum rei naturam & circumstantias. Ubi haberi possit HIPPOCASTANUM, hoc utilius sæpe adhibetur quam SALIX; sic quoque cum optimo effectu in aliquibus febribus præsertim obstinatis juvat additio aliquarum guttarum laudani liquidi, vel modus hunc haustum sumendi, quem indicavimus circa usum electuarii antifebrilis. Denique jam subintelligitur, nec in omnibus febribus, nec in omni casu adhibendum esse indiscriminatim hunc haustum, sed solum ubi succedanea chinæ ipsa per se satis non operentur. Sic non semper expediet uti accurate eadem ipsa formula, sed sæpius, & in pluribus casibus congruet nunc

salem ammoniacum subtrahere, nunc infusum amarum, substituta ei aqua simplici, aliove vehiculo &c. atque hoc idem subintelligi debet universim pro cæteris formulis extemporaneis, cum in harum usu locum habere pariter debeant aliæ variationes, quæ variis peculiaribus casibus, & circumstantiis convenire possunt. Id quod ab accurati, ac periti medici judicio pendet.

HAUSTUS NARCOTICUS seu *stimulans opiatus*.

Rec. Opii puri granum unum. Solve in
Aquæ communis unc. una. Adde
Syrupi papav. alb. unc. dimidiam; & misce.

Hæc est formula inter optimas in pluribus casibus, sub qua OPIUM in substantia rite administrari potest, cum tutius & simul facilius præberi possit in dosi minori unius grani. Hic haustus interne præscribitur a duabus drachmis ad dimidium unciæ, ad unciam unam & amplius pro variis circumstantiis & morbi indole.

HAUSTUS SALINUS, seu DIAPHORETICUS, seu *stimulans salinus*.

Rec. Spiritus Mindereri,
Infusi flor. Sambuci ana unc. tres,
Oximellis simplicis unc. unam; misce, & detur.

Interne præscribuntur duo cochlearia singulis horis vel binis vel ternis sumenda. Utilius sæpe additur aliud remedium, uti esset tar-

tarus emeticus, modo roob sambuci, nunc extractum amarum, nunc quidpiam aliud pro varia ægroti natura. Interdum loco infusi sambuci utiliter impenditur aliquod aliud vehiculum, ac vel ipsa aliquando aqua simplex; nec raro convenit infusi vel alterius vehiculi largior copia.

INFUSUM AMARUM seu *roborans*.

Rec. Centaureæ minoris,
 Herb. absynthii an. drach. duas.
 Digerantur leni calore per sex horas in vase clauso cum s. q.
 Aquæ communis. Tum vix facta unica ebullitione addatur corticis citri drach. una, ac continuo removeatur vas ab igne & frigefiat, & colatura libræ unius detur.

Hæc dosis interne sumenda subministratur per varias vices in diem. Potest etiam adhiberi pro constituente aliquarum mixturarum & aliarum potionum.

Additum est absynthium, cum per solam centauream in pluribus casibus satis corroborans remedium non sit. Solum autem absynthium nequaquam retinui, licet ad propositum scopum sæpius satis esse possit, cum infusio ex solo absynthio facta amaritudinem habeat, quæ omnibus ægrotis non congruit; atque hac ipsa de causa gentiana præsertim sola usus non sum, utut aliquibus videri posset opportune adhibenda.

INFUSUM FLORUM CHAMOMILLÆ.

Rec. Flor. Chamomillæ unc. dimidiam. Infunde in aquæ ferveatis s. q.

In vase clauso detinetur, donec frigefactum fuerit, postea percolatur, & colatura librarum trium datur ad usum.

Utimur hoc infuso interne tanquam potu sumendo vasculatim pluries in diem, ac istud solum sæpe in pluribus morbis pro medicina valde efficaci locum tenet, vicesque supplet aliarum multo majoris sumtus. Adhibetur etiam pro constituente aliquarum mixturarum vel aliarum potionum. Quos in usus adhibentur quoque infusa; quæ sequuntur. Præscribitur demum pro clysteribus, fomentationibus aliisque externis usibus; quibus in casibus levis ebullitio etiam fieri potest aquæ cum floribus, ejusque colatura ad minus pondus redigi.

Prædicta ratione parantur

INFUSA JUNIPERI ex BACCIS CONTUSIS

FOENICULI ex SEMINIBUS CONTUSIS

SAMBUCI ex FLORIBUS & alia plura hujus generis INFUSA.

INFUSUM LIQUIRITIÆ.

Rec. Radicis liquiritiæ ruditer tusæ unc. unam.
Infundatur in s. q. aquæ communis ferventis per integram horam, & facta unica ebullitione coletur ejusque colatura libræ unius cum dimidia subministretur.

Hæc passim non inservit nisi pro additione facienda aliquibus potionibus præsertim ad gratiam eis conciliandam.

LINIMENTUM ANTISCROPHULOSUM *Roncali* seu *stimulans.* *

Sumitur quantitas fellis, quæ in vesica Tauri invenitur; adduntur duo cochlearia olei Nucis, unumque cochleare salis muriatici redacti in pulverem; totum exponitur ad evaporandum balneo maris, donec linimenti consistentiam acquisiverit, ac deinde servatur.

Extenditur super stuppam cannabinam aut super titivilitias & parti infirmæ applicatur.

Exoptandum est, ut chirurgi pondera ac proportiones ingredientium accurate definiant. Cæterum sine ullo discrimine substitui posse crederem oleum seminum lini oleo nucis.

Aliis quoque usibus inservire FEL potest redactum sub forma unguenti sequenti modo. Sumatur axungiæ unciæ una, fellis bovis recentis, sed inspissati, aloë in pulverem redacti ana una drachma. Ex his unguentum efficitur, quo inungitur venter ad eum stimulandum in infantibus, vel in iis, qui induci nequeunt ad sumenda purgantia remedia: adhibetur etiam exitu bono ad necandos vermes, ad expellendam aquam in hydrope & loco UNGUENTI ARTHANITÆ, quod majoris sumtus est & complicatius.

LINIMENTUM OPHTHALMICUM seu *stimulans pro oculis.*

Rec. Mercurii præcipitati albi scrupulos duos,
Flor. Zinci drach. unam,
Axungiæ porci. purificatæ & sæpius lotæ unc. dimid. misceantur in mortario ligneo vel vitreo & efficiatur unguentum.

Opportunissime adhibetur quoque ad aliqua vulnera curanda. Cum vero adhibetur pro oculis, sub initium temperatur cum æquali adipis portione, & ubi nullam irritationem aut incommodum pariat, minuitur gradatim adipis dosis donec adhibeatur simpliciter, ut descriptum est. Hoc si rite adhibeatur, optimos effectus habere potest. Sed de oculorum morbis curandis plura expectamus ab eo, quod ut fama fert, jamjam editurus est Vir Clarissimus *Professor Scarpa* de iisdem morbis opere magnis doctorum votis experito.

LINIMENTUM in SCORBUTO GINGIVARUM sive in GINGIVARUM & DENTIUM LAXITATE.

Rec. Ligni guajaci drach. duas; infunde in s. q.
Aquæ communis, & post levem ebullitionem in vase clauso factam percoletur. In colatura unciarum duarum solve
Terræ catechu drachmam unam & adde
Tincturæ myrrhæ unc. semis.

Cum penicillo hoc remedium applicatur. Aliquando addi potest aliqua portio mellis.

LINIMENTUM VOLATILE sive SAPO AMMONIACALIS.

Rec. Olei olivarum drach. sex,
Spirit. salis ammoniac. caustici drach. duas.

Agitatur in phiala clausa patuli oris & in eadem phiala præbetur primum rite obturatum.

Huic linimento sæpe utiliter additur aliquid camphoræ, ac tum nomen accipit LINIMENTI VOLATILIS CAMPHORATI. Rursus utiliter vel simplici linimento volatili, vel camphorato adjungitur nunc tinctura cantharidum, modo laudanum liquidum, nunc oleum C. C. vel terebinthinæ &c.

LINCTUS LENIENS, seu INVOLVENS, s. *laxans.*

Rec. Mucilaginis gummi arabic.
Mellis depurati ana partes æquales; misce & detur.

Singulis horis unum cochleare exhibetur vel rarius pro rei necessitate. Aliquando juvat loco mellis subrogatio syrupi papaveris albi.

LIQUOR MERCURIALIS. *

Rec. Mercurii sublimati corrosivi grana sex,
Salis ammoniaci grana decem & octo,
Aquæ destillatæ libram unam; solvantur.

Non applicatur nisi externe cum plumaceolis &c. & explet vices AQUÆ PHAGEDÆNICÆ majori cum fructu. Vid. etiam quæ diximus in parte secunda ubi de SUBLIMATO CORROSIVO.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

Rec. Gummi arabici in pulverem triti unc. unam.

Successive affusis unciis duabus aquæ, adhibita interea trituratione & continuata, donec redigatur in mucilaginem.

Rarius ipsa sola præscribitur ad usus præsertim internos; pro quibus sæpe sæpius d tur cum aliquo syrupo; vel cum melle adinstar linctus, vel addenda mixturis, vel aliis potionibus. Diluta vero in aliquo vehiculo adhibetur pro clysteribus, injectionibus, colliriis &c.; tum denique ad formam alicui medicamini præscribendam. Extra dubium est, hanc MUCILAGINEM, quemadmodum etiam illa, quæ trahi potest ex RADICE ALTHEÆ, in omnibus casibus vices explere MUCILAGINIS SEMINUM CYDONIORUM, & PSYLLII.

MIXTURA ANTIASTHMATICA, sive EXPECTORANS s. *stimulans*.

Rec. Gummi ammoniac. drach. duas;
Infusi sambuci unc. sex.
Diligenter terens solve & adde
Oximellis simplicis unciam unam. Detur.

Præbetur hæc mixtura singulis ternis vel quaternis horis dosi duorum cochlearium. Aliquando melius utendum est oximelle scillitico loco simplicis; & præterea melius aliquando subrogatur infuso sambuci aliud vehiculum ex c. aqua menthæ, infusum pulegii &c.

MIXTURA NERVINA seu ANTIHYSTERICA, seu *excitans*.

Rec. Aquæ menthæ piperitidis unc. sex.
Liquoris C. C. terebinthinati,
Anodini an. drach. semis;

Syrupi corticis aurantior. drach. sex; misceatur & detur in vase optime clauso.

ALIA EXCITANS FOETIDA.

Rec. Infusi flor. chamomillæ unc. sex,
Spiritus C. C. scrup. unum,
Tincturæ assæ foetidæ guttas viginti; misce.

Tam hujus, quam supradictæ mixturæ unum vel duo cochlearia præbentur singulis horis, vel binis, vel ternis pro circumstantiis. Hisce mixturis medicus prout prudentia ei suggeret additionem præscribere laudani liquidi vel diascordii &c., itemque poterit substituere ammoniacam puram spiritui C. C. & liquori C. C. terebinthinati, vel ætherem subrogare liquori anodino; tum denique mutare vehiculum poterit per alterius substitutionem, uti ex. c. sunt infusum valerianæ, foliorum aurantiorum, emulsio seminum citri &c.

MIXTURA STOMACHICA seu *roborans*.

Rec. Aquæ menthæ piperitid. unc. sex,
Elixir. amari unc. dimidiam;
Tincturæ calami aromatici drach. unam,
Syrup. chinæ unc. unam. Misce & detur.

Hæc quoque mixtura eodem modo præscribitur, quo supradictæ. Ac similiter in hac variari potest vehiculum eique subrogari aqua baccarum juniperi vel earum infusio &c., addique potest aliqua dosis laudani liquidi aut ætheris &c.

OLEUM SEMINUM LINI. *

Rec. Semin. lini non rancidorum quantum vis.

Contunde in mortario lapideo, donec pastam mollem, pinguem exhibeant. Hanc sacculo cannabino inclusam submitte frigido prælo, & omne oleum sensim exprime, quod a fæcibus dein libera, & in loco frigidiori serva.

Interne adhibetur ipsum solum in dosi olei olivarum, ut in prima parte dictum est. Eodem quoque utimur pro clysteribus passim cum decocto emollienti, vel chamomillæ vel alterius.

Cum ego cum aliis putem, OLEA PINGUIA sive *fixa* virtute & proprietatibus generatim inter se convenire, videri sufficere posset maxime in curatione pauperum oleum olivarum, & ideo videri posset superfluum hoc olei genus superaddere; ab eo tamen recensendo pro usu pauperum abstinere nolui, quia cum apud vulgus præsertim rusticorum hominum oleum seminum lini tam ingrate non sapiat, ut sapit cæteris hominibus, & ex altera parte sæpe familiaris sit apud illos prædicti olei usus, vel facilioris acquisitionis, quam sit oleum olivarum, huic illud præsto non raro iis commodius & promtius esse potest; ac simul iis relinquitur opinio, vel fiducia major, quam plures habent in hoc olei genere præ oleo olivarum.

Residuum, quod manet post extractionem olei, si redigatur in pulverem & leniter calefiat, submissum calido prælo antea inclusum sacculo suppeditat aliud oleum idoneum ad ardendum, aliosque œconomicos usus.

PASTA EPISPASTICA seu SINAPISMUS.

Rec. Fermenti panis acidi uncias tres,
Semin. sinapi pul. unc. unam cum dimid.
Aceti fortis uncias tres circiter vel q. s. ut ex eo tota pasta confletur consistentiæ cataplasmatis.

Hæc magis activa efficietur, si loco aceti simplicis adhibeatur acetum scilliticum, cui potest etiam misceri aliqua portio salis communis. Applicatur sub planta pedum aliisque partibus pro re nata: ubi deficiat fermentum, adhiberi potest farina secalis vel tritici, aut medulla panis.

PILULÆ ALTERANTES *Plumeri.*

Rec. Pul. alterant. Plumer. scrup. duos;
gummi-resinæ guajaci,
Extracti cicutæ ana scrupulum unum;
Mucilagin. gumm. arabic. q. s. ut fiat massa pilularis mollis, ex qua conflentur pilulæ ponderis granorum duorum.

Sub initium tres istarum præbentur mane & vesperi, postea gradatim augetur numerus usque ad viginti per diem in varias vices.

PILULÆ ANTISPASMODICÆ seu *excitantes.*

Rec. Gummi resinæ galbani,
assæ fœtidæ an. drach. dimidiam,
Pul. radic. valerian. sylvestr. drach. unam.

In mortario vix calefacto emolliuntur galbanum & assa fœtida, tum additur aliquid elixirii amari q. s. esse queat ad conficiendam mollem massam, cui additur valeriana, ac conficitur massa dividenda in pilulas, quarum singulæ sint trium granorum & quatuor ex istis singulis binis vel ternis, vel quaternis horis ab ægro suscipiuntur.

Interdum istarum usus utilior evadit, si addatur aliquod granum opii. Itemque prodesse potest interdum additio myrrhæ, vel olei C. C. &c.

PILULÆ e MERCURIO SUBLIMATO CORROSIVO.

Rec. Mercurii sublimati corrosivi,
Salis ammoniaci an. drach. dimid.
Aquæ destillatæ q. s. ut deliquescant; dein adde
Pul. radic. althææ drach. decem. Misceantur exactissime & redigantur in massam pilularem, ex cujus una drachma efformentur pilulæ viginti octo, quarum decem continent mercurii sublimati corrosivi granum unum.

Dosis autem & monita in ejus præscriptione observanda videantur, ubi de SUBLIMATO CORROSIVO PARTE SECUNDA. Aliquando sub hac forma pilularum hoc remedium præscriptum meliorem exitum habet, si misceatur cum opio & aliquo extracto amaro, ut dictum est, ubi de sublimato corrosivo.

Hæc forma optima est pro administrando interne mercurio sublimato corrosivo, cum ne-

cessarium sit, hoc remedium non agere promte ac celeriter, sed potius lente & paullatim. Quod certe obtinetur per usum pilularum, atque hac ipsa de causa melius est certum, pilularum numerum præparare; ut ante ipsarum usum quemdam duritiei gradum acquirant; quæ quidem exceptio est regulæ generalis in præscriptione pilularum alterius generis.

Simplex mica panis aptissima non est, ut aliqui censent, ad has pilulas conficiendas, cum per massam ex mica conflatam utpote nimis fragilem difficilius pilulæ componantur, ac præterea difficilior habeatur æqualis & accurate uniformis per massam distributio mercurii, id quod ad scopum maximi interest. Quare longe melior est usus radicis althææ, aut gummi arabici, aut amyli. Quod si mica panis uti quis velit, oportet adhibere micam panis biscocti ad subtilissimum pulverem redacti. Idem dicendum pro confectione PILULARUM CUPRI AMMONIACALIS. Ubi vero adhibeatur gummi arabicum, vel melius radix althææ, id quoque obtinetur, ut sublimati corrosivi qualitas & vis corrosiva egregie obtundatur.

PILULÆ RESOLVENTES sive *roborantes*.

Rec. Saponis alicantini,
Gummi ammoniaci,
Extracti cichorei an. partes æquales.
Mellis optimi q. s. ut fiant pilulæ singulæ granorum duorum.

Præscribuntur a quatuor usque ad decem bis vel ter sumendæ per diem, & augeri numerus

potest post diuturnum & continuatum pilularum usum, quem ferre debet ægrotus, ut optatum effectum obtineat.

Si desit extractum cichorei, subrogari potest extractum taraxaci, & interdum istorum extractorum loco expedire potest usus extracti cicutæ.

PILULÆ SCILLITICÆ, seu *stimulantes in hydrope.*

Rec. Gumm. ammoniac.
Scillæ recentis in pulpam redact. an. scrup duos.
Radic. Angelicæ pul. scrup. unum,
Oximellis scillitici q. s. ad conficiendam massam pilularum dividendam in pilulas duorum granorum.

Istarum pilularum quatuor & etiam octo bis, vel ter in diem sumuntur.

POTIO PURGANS FORTIS.

Rec. Lini cathartici drach. duas;
Sal. cathartici amari unc. unam. Digeritu per horas sex leni calore in octo unci infusi chamomillæ, ac deinde percolatu & colatura præbetur.

POTIO PURGANS MITIS.

Rec. Salis amari unc. unam: solve in
Aquæ fontis unciis sex; cui adde
Mellis depurat. unc. unam.

Istarum potionum utraque passim sumi potest una vice. Interdum utiliter impendi potest loco aquæ infusum chamomillæ, aqua menthæ &c. In priori autem uti possumus etiam aqua corrigenda cum aliquo aromate loco infusi chamomillæ. In aliis vero casibus congruere potest loco hujus potionis purgantis mitis aliud potionis genus, quam infra describam. Hæc ultima potio adhiberi potest loco POTIONIS LAXATIVÆ CUM MANNA, cum usus MELLIS in curatione pauperum usum MANNÆ adæquare possit. De hac re videatur, quod diximus de MANNA. Mélius quoque ad imitandam mannæ naturam acceditur, si melli adjungatur aliqua portio gummi arabici, ut satis mihi constitit ex aliquibus experimentis chymicis, quæ de manna capere volui.

Cæterum, ut etiam monui, ubi de manna, hoc remedium, meo quidem judicio, eam æstimationem non videtur mereri, quam apud majorem medicorum partem obtinet. Raro enim manna ipsa sola operatur non mixta cum aliis remediis laxantibus efficacioris virtutis, vel ubi effectus ab ipsa sola postuletur, oportet eam præberi dosi largiori; qua in dosi ex æquo etiam mel operatur. Rursus ipsa sola, quavis in dosi administretur, tam blandum & innoxium laxativum remedium non est, ut a maxima parte medicorum creditur; qua persuasione fit, ut generatim reputetur remedium pro quovis morbo & in quavis ætate opportunum; cum tamen aliter sentiendum sit, quoniam in infantibus, in puerperis, fæminisque hystericis aut multo irritabilibus, vel in ægris affectis habitu flatuum aliisque

in circumstantiis, negari non potest, quin sæpe incommoda & mala pariat, ut majorem flatuum copiam, tormina, aliosque malos effectus spasmodicos. Quod adeo verum esse patet, ut sapientiores & prudentiores medici rarissime hoc remedii genus tanquam purgativum ipsum solum præscribant, sed ad prædicta incommoda cavenda maxime in ægris & circumstantiis indicatis passim soleant illud conjungere cum substantiis aromaticis, vel cum remediis amaris, aut cum aliis purgantibus pro varia rei natura & aegrotorum indole.

ALIA POTIO PURGANS MITIS.

Rec. Pulpæ prunorum unc. unam & semis,
Cremoris tartar. drach. sex. Solve in
Aquæ communis unciis novem, & præbe.

Non raro hæc potio in duas vices utiliter dividitur. Sæpe juvat usus seri lactis loco aquæ: & frequenter prodest post sumtionem hujus & aliorum potionum purgantium sumere aliqua vascula seri lactis vaccini. Hæc postrema potio æquivalet potioni, quæ communiter dicitur POTIO LAXANS ANTIPHLOGISTICA.

POTUS EXCITANS.

Rec. Aquæ communis libras duas,
Spiritus vini rectificati unc. unam & semis,
Mellis depurati unc. unam. Misceantur & dentur.

Vasculatim ut potio communis sumitur. Hæc potio in clinico Ticinensi maximo cum fructu adhibita fuit. Multoties efficitur gratior atque efficacior ubi eidem addantur aliquot unciæ vel aquæ vel infusi aromatici, cujusmodi sunt aqua juniperi, menthæ &c. vel infusi anisorum &c., tanta aquæ communis quantitate subtracta, quanta vehiculorum copia adjungitur. Addi etiam potest in eundem finem aliqua dosis liquoris anodini vel tincturæ calami aromatici, vel loco mellis syrupus corticis citri &c. Ubi de divitibus agitur, fieri possunt potiones hujus generis longe gratiores atque breviores per simplicem additionem diversorum ROSOGLII vel CLARETI generum pro variis gustibus in quantitate sufficienti aquæ factam; at pro pauperibus ea ratione, quam dixi, parata potio satis pro scopo sufficit; quod si nimis ingrata quibusdam melle efficitur potio, hæc temperari optime potest usu sacchari loco mellis; tunc enim gratissima potio evadit non pro pauperibus tantum, ſed etiam pro omni hominum conditione.

PULVIS ALTERANS *Plumeri.*

Rec. Mercurii dulcis,
Sulphur. aurati antimonii an. part. æquales.
Terantur diu in mortario vitreo, ut ambo perfecte commixta pulverem non modo subtilissimum, sed & æqualissimum exhibeant.

Præscribitur pulvis a duobus granis ad sex & usque ad sexdecim gradatim tamen & lente.

Aptior præscriptionis formula est pilularum, quæ modo fiunt sub ea forma, quam indicavimus in PILULIS ALTERANTIBUS *Plumeri* in hac tertia parte, nunc vero fiunt cum aliis ingredientibus. Creditur hoc remedii genus, licet diutius continuetur ejus usus, raro excitare salivæ emissionem.

PULVIS ANTHELMINTICUS seu *stimulans adversus vermes intestinules præsertim ascarides.*

Rec. pulv. Semin. tanaceti,
Radic. valerian. sylvestr.
Jalappæ an. scrup. dimid. Misceantur & dentur.

Hæc dosis sumitur semel vel bis quaterque in diem pro ætate aliisque circumstantiis. Sed ubi pluries in diem repetatur, expedit aliquando pro aliqua vice omissio jalappæ. Sic etiam prodesse potest pro diversa ægrorum ætate vel temperamento incrementum dosis ingredientium. Hic pulvis quoque præbetur sub forma bolorum; nec raro juvare potest aliqua additio mercurii dulcis. Quod si prædicto pulveri uniatur sufficienti in quantitate syrupus cichorei cum rheo vel mel, sic ut fiat electuarium, tunc exurgit ELECTUARIUM quod dici potest ELECTUARIUM ANTHELMINTICUM.

PULVIS DIAPHORETICUS, sive *Dowerii.* *

Rec. Pulv. opii puri,
Radic. Ipecacuanhæ an. scrup. unum,

Radic. Liquiritiæ drach. tres. Misceantur diligenter & per diuturnam trituram fiat pulvis subtilissimus, & deinde conservetur.
Undecim pulveris grana continent unum granum opii.

Præscribitur interne a quinque granis ad duodecim, ad scrupulum unum & usque etiam ad drachmam, postquam ægrotus remedio fuerit assuetus. Hoc autem datur vel in simplici pulvere vel in pilulis vel etiam solutus. Sed de hac ultima præscriptionis forma vide, quæ diximus, ubi de Ipecacuanha parte prima. Fertur nuperrime felici successu adhibitum fuisse etiam in diabete.

Ubi alicui ægroto non congruat ratione dulcedinis suæ pulvis liquirìtiæ, subrogetur magnesia. Si quis autem cuperet uti tartaro vitriolato loco liquiritiæ, quod tamen omitti posse censeo sine remedii detrimento, licet de hoc tartaro specialis sermo nobis non fuerit, is tamen habere posset ex præparationibus indirectis, quas alibi innuimus. Cæterum non raro contingit ut pro aliquibus prosit non uti pulvere liquiritiæ, nec magnesia, nec tartaro vitriolato, sed magis pulvere corroborante; qua in re plures observationes perutiles habuit vir magni ingenii *Doctor dell' U.*

PULVIS PURGANS FORTIS.

Rec. Pulv. radic. Jalappæ,
Crem. tartar. an. drach. dimid. Misceantur; præbeantur,

Minuitur vel augetur dosis pro ratione æta tis ægroti aliarumque circumstantiarum. Ubi cui sufficienti mellis copia bolus confletur, bolu exurgit ab aliquibus dictus BOLUS PURGAN ORDINARIUS, cui si addantur tria grana mer curii dulcis, ab aliis appellatur BOLUS PUR GANS MERCURIALIS.

PULVIS RESOLVENS s. *alterans salinus.*

Rec. Pulv. crem. tartar. unc. unam,
Tartar. emetic. gran. duo. Misceantur exa tissime & dividantur in decem parte æquales.

Harum partium una vel duo sumendæ præ bentur singulis binis horis vel ternis, pro ut opu esse medicus judicaverit.

PULVIS ROBORANS MARTIALIS.

Rec. Pulv. cortic. Hippocastani,
Limatur. martis an. gran. decem,
Semin. anisor. gran. sex. Misce.

Hæc dosis sumitur bis vel ter vel etiam pluries in diem pro necessitate, quam medicus deprehenderit. Dari potest sub forma bolorum; vel si datur in pulvere, ea serventur, quæ diximus, ubi de aethiope. Si quibusdam anisorum gustus displiceret, possent eorum loco adhiberi cortex citri, vel calamus aromaticus, Zingiber vel aliud quid simile & interdum pro cortice

Hippocastani juvat usus myrrhæ, vel extracti ipsius aquosi, &c.

PULVIS SQUILLÆ COMPOSITUS. *

Rec. Squillæ præparat. scrup. duos,
Pulv. calami aromatici,
Nitri purissimi an. drach. duas. Misce & serva.

Præscribitur ab uno scrupulo ad duos usque ad quatuor dividendus tamen in plures partes. Additio quæ pro variis casibus huic pulveri fiat aut opii aut camphoræ, magnæ non raro utilitatis est. Demum etiam in hujus pulveris præparatione loco calami aromatici impendi posset radix angelicæ, Zingiberis &c.

SERUM LACTIS ALUMINOSUM.

Rec. Seri lactis libr. duas,
Alumin. puri pul. drachm. duas.

Serum ebullitione exponatur, addatur alumen, & deinde coletur, & præbeatur a duabus unciis ad quatuor, quæ dosis repetatur bis, ter quaterve & etiam pluries in diem, prout stomachus magis minusve ferat & morbi circumstantiæ postulent. Si vomitum produceret, ad id corrigendum dilui aqua posset, vel addi mel vel saccharum. Alumen sub hac forma præscriptum vel solutum in fluidis mucilaginosis meliorem effectum sæpius parit, quam sub aliis formis subministratum.

SERUM LACTIS SINAPINUM.

Rec. Seri lactis vaccini libr. duas,
Semin. Sinapis pul. unc. unam.

Hæc lenissime ac brevissime ebulliant in vase clauso, vel simplex digestio calida fiat in vase pariter clauso per aliquot horas, deinde coletur & subministretur.

Singulis binis vel ternis horis hujus seri vasculum sumitur. Hæc præparatio est jucundior, & efficacior formula præscribendi interne sinapem. Adhuc gratior efficitur; si addatur portio mellis vel sacchari; quod tamen semper fieri non oportet.

Passim serum lactis alteratum tam uno quam altero processu ex dictis ingredientibus fieri solet ope lactis loco seri. Sed cum ubi lacte utendum sit, hujus ebullitio fiat cum prædictis substantiis, donec habeatur separatio seri a substantia casei, hinc quisque intelligit sine ulla utilitate longiorem esse majorisque dispendii processum hujusmodi, quam si simpliciter serum adhibeatur.

DE SERO VINOSO dicere prætermisi, tum quia potio displicens est, quin sit proficua, tum quia vinum, ubi ipsum solum adhibendum non sit, minus ingrate, & longe utilius cum aliis liquoribus conjungi potest.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS. *

Rec. Camphoræ rasæ unc. unam.
Solve in

Spiritus vini rectificati libra una cum dimidio, & in vitro probe obturato serva ad usus præsertim externos.

SUCCI.

Herbæ, quæ lactem fundere solent, in primis adhibentur, & sunt ex *Linnaei Syngenesia*, *Pentandria*. Etiam ex *tetradynamia* nonnullæ adhibentur utiliter in eundem finem. Eliguntur præ cæteris SUCCI TARAXACI, CICHOREI, FUMARIÆ, NASTURTII AQUATICI &c. Satis quidem est unius plantæ succus, sed ubi forte deficiat copia plantæ unius, ex pluribus aliquando succus extrahitur.

Plantas, ex quibus succus est exprimendus, contunde in mortario lapideo in massam pultaceam, ex qua sacco linteo forti inclusa exprimatur succus, & postquam fæces subsederint, effunde liquorem vel cola.

Sed post contusionem cum modica aquæ quantitate miscendæ & exprimendæ sunt plantæ, quæ natura sua sunt siccæ & per se parum succi largiuntur, ut est CENTAURIUM MINUS, ABSYNTHIUM &c., vel etiam illæ, quæ succulentæ quidem sunt, sed succum habent viscosum tenacem, ut ex. c. est RADIX CICHOREI &c.

Præstantior pro succis depurandis vel clarificandis præsertim ad usum pauperum methodus est, quam indicavimus, scilicet succis quieti dimissis & postquam subsederint faeces, effuso vel colato liquore, quæ tamen operatio in loco frigido præstari debet. Præterea infundi possunt lagenæ, quæ sit bene munita & leviter jam ca-

lefacta, & hæc toties intingatur aquæ ebullienti, quoties opus est, ut succus in lagena contentus perfecte incalescat, & partes succi irresolubiles coagulatæ & in homogeneam quasi massam coalitæ sint. Quo facto succus frigefiat, & post refrigerationem per pannum laneum coletur.

Sed illud curandum est ut succi a plantis expressi æstivo temqore post duodecim circiter horas renoventur & post viginti quatuor circiter horas hiemali tempore, ea præterea cautione adhibita, ut in loco frigido ad usum serventur.

Hi succi præbentur variis vicibus a duabus unciis ad quatuor & aliquando etiam amplius: Sæpe soli sumuntur. Sed non raro cum sero lactis, quo creditur vim eorum augeri. Extra dubium est istorum vim maximam esse in curatione morborum. Optimi censentur succi verno tempore, cum radices & herbæ lacte & succo magis turgeant. Monent tamen sapientiores practici, ut ab usu istorum abstineatur, ubi cardialgia oriatur, aut diarrhœa, quæ vires labefactet.

Neque hic prætereundum est præstantiora officinarum EXTRACTA ex succis recenter pressis parari, & plus præstare, quam alia EXTRACTA ex siccis vegetalibus præparata.

SYRUPUS CORTICUM CITRI. *

Vid. pars tertia.

TINCTURA RHEI sive RHABARBARI AQUOSA, s. INFUSUM.

Rec. Rhabarbari elect. contusi drach. duas;

Infundatur in aquæ communis fervid. s. q. & quieti dimittatur, donec frigefiat, deinde coletur, & præbeatur liquor, qui esse debet ponderis quatuor unciarum.

Non adhibetur nisi interne a duabus unciis usque ad quatuor; præscribitur autem modo sola, modo addenda altis potionibus passim purgantibus. Hæc administratur frequentius ut purgans remedium; casus tamen non desunt, in quibus præscribitur ut alterans remedium, quemadmodum etiam fit cum RHABARBARO in substantia. Quo tamen in casu dosis variari debet: utilis est non raro additio huic tincturæ facta liquoris anodini, vel alicujus aquæ vel infusi aromatici &c. Cæterum in curatione pauperum hujus præparati usus tam frequens esse non debet, cum non exigui sumtus sit, & ex altera parte suppleri possit alia ratione.

VINUM AMARUM seu *roborans*. *

Rec. Radic. gentian.
Cortic. limonior. recent. an. unciam unam,
Calami aromatici drach. duas. Hæc contundantur, & macerentur sine calore in
Vini generosi libris duabus. Deinde colentur.

Hoc passim ipsum solum præbetur interne sumendum a duabus unciis ad tres ter vel quater in diem. Non raro tamen parari potest colatura, quæ sit ponderis trium librarum. Loco autem gentianæ, si libet, adhiberi potest absynthium; & defectu calami aromatici Zingiber, aut

aliud aromaticum. Si addatur huic vino aliqua portio TINCTURÆ MARTIS ea proportione, quam casus postulat, fit ex tempore optimum VINUM MARTIALE *roborans*.

UNGUENTUM DIGESTIVUM. *

Vid. pars secunda.

UNGUENTUM AD SCABIEM. *

Vid. pars secunda.

UNGUENTUM MERCURIALE ALBUM. *

Rec. Mercur. præcipitati albi drach. unam,
Axungiæ porcin. unc. unam: misce exactissime in mortario non metallico & serva.

Pro scabie adhibentur duæ drachmæ singulis vicibus per diem in fricationibus. Hoc unguentum maxime commendatur non solum in scabie, sed etiam in herpete aliisque vitiis cutaneis. In his & etiam in tinea capitis maxime laudant ut efficax & tutum remedium externum *Zeller*, *Werlhof*, *Klein*, *Piderit*, *Plenk*, *Spielmann*, *Baldinger* &c. Aestivo tempore in hujus remedii præparatione eodem modo procedendum est, quem diximus, ubi de præparatione UNGUENTI MERCURIALIS GRISEI parte secunda.

UNGUENTUM MERCURIALE GRISEUM. *

Vid. pars secunda.

INDEX

PRAECIPUORUM MEDICAMINUM SIMPLICIUM COMPOSITORUM.

A.

B.

C.

F.

G.

H.

I.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

PARS QUARTA

CONTINENS TABULAS TRES (1)

TABULA PRIMA.

Exhibens copiam salium neutrorum & mediorum, de quibus in hujus operis decursu actum est, quam uncia una aquæ destillatæ in temperatura circiter decem graduum supra Zerum thermometri *Reaumuriani* solutam tenere potest juxta PHARMACOPÆAM AUSTRIACO-PROVINCIALEM EMENDATAM.

UNCIA UNA AQUÆ SOLVIT

ALUMINIS CRUDI unciam unam & drachmam unam.

CREMORIS TARTARI grana tria.

MERCURII SUBLIMATI CORROSIVI grana triginta.

NITRI drachmam unam & grana triginta.

---

(1) Harum trium tabularum ad calcem operis addendarum mentionem feceram in præfatione. Verum postea cogitavi melioris ordinis causa ex iis quartam operis partem conflare, quæ tribus prioribus partibus hic additur.

SALIS AMARI CATHARTICI drachmas quinque.
SALIS AMMONIACI drachmas tres.
SALIS COMMUNIS drachmas duas & grana triginta.
TARTARI EMETICI juxta *Bergmann* ad quindecim gradus soliti Thermometri grana tria.
TARTARI VITRIOLATI grana triginta.
TARTARI TARTARISATI drachmas quinque.
VITRIOLI CUPRI drachmas duas.
VITRIOLI MARTIS drachmas tres.
VITRIOLI ZINCI drachmas tres.

TABULA SECUNDA

IN QUA RATIO EXHIBETUR QUA PHARMACOPAEA HAEC NOSTRA AD USUM NOSOCOMIORUM CASTRENSIUM POSSET FACILE ACCOMMODARI.

Nullum sane institutum hominum esse videtur, in quo bonorum civium, ac publici regiminis sollicitudo æquius impendatur, quam castrensia Nosocomia, quæ ad curationem ægrotorum militum destinantur. Id enim exigit grati animi sensus, & humanitatis lex, cum de curandis hominibus agatur, qui ex una parte innumerabilia incommoda, ac pericula subeunt pro Reipublicæ incolumitate tuenda; ex altera passim inopia laborant, atque a suis sejuncti, & a patriis laribus, omni subsidio destituti nullam spem habent, nullumque refugium pro recuperanda valetudine, nisi in publicis militaribus Nosocomiis. Hisce de causis conspicimus civilem societatem in his erigendis, providendis, administrandis maximas curas impendere, & infinitam pene vim pecuniæ erogare, ut res bene cedant ad felicem, & prosperam ægrotorum curationem.

Sed dolendum maxime est frustrari tam sæpe, ut experientia commonstrat, bonorum civium vota, & publici regiminis curas; idque potissimum contingere defectu medicamentorum,

quæ optimæ notæ sint, valeantque pro bona eorum qualitate exspectatos effectus producere: Quo fit, ut sæpius ægroti male tractentur, difficilius morbi curentur, nec raro magna ægrorum pars depereat, quibus per bona remedia rite administrata succurri facile potuisset. Id sane dolendum est; multoque magis dolendum id passim accidere exécrabili illorum culpa, qui omnis humanitatis sensus expertes, turpis lucri causa, ut rebus suis consulant, fortunasque suas efficiant, & augeant, adversus regiminis publici conatus; & vota destinatam pecuniam in propria commoda divitiasque convertunt, interea dum nosocomia castrensia inopia bonorum medicaminum cum maximo ægrorum detrimento laborant. Id ego vidi non semel, speciatim vero cum vocatus fuissem ad invisendum Ticini castrense Nosocomium, ut medicamenta examinarem, in his malorum hominum fraudes, rapinas, & dolos conspexi & exhorrui. Quod sane delictum etiam pœnarum severitate compressum nondum penitus exstirpari potuit, ut quotidiana experientia non raro commonstrat. Ex quo intelligi potest, quanti momenti sit prudens virorum delectus, qui huic provinciæ in prædictis Nosocomiis præesse debent. Unicum sane videtur esse pro tanta pernicie avertenda remedium viros seligere ad id destinandos, qui præter necessariam ad hoc perficiendum opus ingenii & cognitionum copiam, necessariis quoque animi dotibus præditi sint, ut nempe morum integritate, fide, sinceritate, sensuque demum humanitatis ac teneræ erga homines benevolentiæ cæteris præstent, & publicam habeant æstimationem & laudem. Hac una ra-

tione confidere possumus, fore ut prædicta Nosocomia optimis medicamentis instructa sint ac ita saluti ægrotorum militum bene & prospere consulatur.

Huc pro re nata excurrere volui, ut pro ea quæ me tangit, ægrorum cura animi mei vota ac sensus exponerem. Quod ad me attinet, ut ad propositum redeam cum in hac ipsa pharmacopœa curationem pauperum potissimum spectaverim, & conatus fuerim eorum salutem cum prudenti œconomia conjungere, hinc magna dictorum pars castrensibus etiam Nosocomiis adaptari facile potest. Quare hic ego indicabo tantum aliquas differentias, reductiones, modificationes medicamentorum habita ratione diversarum circumstantiarum, quæ passim occurrunt, nec vitari possunt in castrensibus Nosocomiis. Illæ autem sunt quæ sequuntur.

DE MEDICAMENTIS QUÆ PRÆTERIRI POSSUNT.

AQUA JUNIPERI — AURANTIUM *Folia* — CUPRUM AMMONIACALE — DAUCUS SYLVESTRIS *Radix* — EXTRACTUM NASTURTII — FEL TAURI — FILIX MAS *Radix* — FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES — JACEA *Herba* — LINIMENTUM ANTISCROPHULOSUM — MAGNESIA CALCINATA — MANNA — PAPAVER ALBUM *Capita* — PILULÆ ANTIHYSTERICÆ — SOLANUM HORTENSE *Folia* — SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICI — SUCCI — SYRUPI CICHOREI CUM RHEO, PAPAVERIS ALBI & FE-

RUVIANI CORTICIS — TINCTURA ASSÆ FOETIDÆ — TINCTURA RHABARBARI AQUOSA — VERBASCUM *Flos* — VITRIOLUM CÆRULEUM —

DE QUIBUSDAM OBSERVATIONIBUS AD REM NOSTRAM SPECTANTIBUS.

Plura jam dixi in hac pharmacopœa nostra de aquis destillatis aromaticis, & œconomiæ causa observatum est optime suppleri posse per infusa earum substantiarum, ex quibus aquæ hauriendæ essent. Quare hæc œconomica ratio spectari debet etiam pro castrensibus Nosocomiis.

Verumtamen negari non potest, quin aquæ menthæ, præsertim piperitidis usus maximæ sit utilitatis, expediatque plurimum, ut per eam vices expleantur aliorum remediorum longe majoris expensæ. Qua de causa in hac nostra pharmacopœa eam retinuimus, eademque ratione prodesset ejus usus etiam pro castrensibus Nosocomiis. Sed aliunde cum maxime incommoda esset tantæ hujus aquæ copiæ, quanta opus esset; advectio & translatio, hinc alia ratione pro his suppleri commode potest. Cum enim oleum essentiale sit pars præcipua & efficax aquarum destillatarum, ex hoc in quovis castrorum loco & circumstantiis aquæ parari possunt ex tempore, hoc triplici processu. Primo: misceatur una aquæ libra cum dimidia uncia spiritus vini, in quo tres quatuorve guttæ olei essentialis menthæ vel crispæ vel piperitidis solutæ fuerint; quæ guttæ augeantur, pro ut exigitur magis satura, magisque aromatica aqua paranda. Secundo: fieri potest

mixtio per trituram ex nobiliori oleo conjuncto cum saccharo, vulgo elæosaccharo, & aqua pura. Tertio demum: misceri potest oleum essentiale cum exigua portione mucilaginis gummi arabici vel alterius generis, ac deinde misceri paullatim cum aqua.

Scio quidem ad majorem medicorum & chirurgorum commoditatem ac vel ipsorum Nosocomiorum necessitatem, tum etiam ad expeditiorem medicaminum præscriptionem opportunam fore majorem formularum copiam, quæ magistrales vulgo appellantur, & quibus medicamenta licet ex pluribus ingredientibus composita compendii causa uno pene verbo indicantur. Has ego quidem sufficienti numero facile exponere potuissem; sed cum observaverim maximam istarum partem jam supra in pharmacopœa nostra descriptam fuisse, cui propterea exiguus numerus superesset addendus, qui nullo negotio vel a medicis Nosocomiorum vel ab eis, qui cæteris præsunt, impleri posset separatim a generalibus hujus pharmacopœæ formulis privatis suis elenchis, quod fortasse utilius evadere potest, hinc rem minime necessariam esse putavi has paucas formulas addere. Quod alioquin, ubi id exigeretur, nec longum nec difficile esset opus.

TABULA TERTIA.

IN QUA SPECIMEN SEU NORMA EXHIBETUR PRO CONFLANDO MEDICAMINUM APPARATU OMNIBUS PERSONARUM CLASSIBUS ACCOMMODO.

Jam monui in præfatione hoc apparatus medicaminum genus tam late patens ad usum totius regionis nostræ licet ab omnibus jam diu expetitum nondum prodiisse; monuique pariter hunc ipsum, qui ad pauperum usum modo prodit, ad hunc, quem dixi, finem accommodari posse, aliquibus remediis additis & quibusdam aliis temperatis. Nunc igitur ut hanc viam præmonstrem, quæ in hoc opere perficiendo ineunda esset, specimen, quod sequitur, exhibeo; specimen, inquam; quod quis sequi posset, qui brevi tempore apparatum hunc pro universa republica contexere vellet.

Hunc autem finem continuo prospiciens; ut apparatus omnibus personarum conditionibus, temperamentis, ætatibus congruat; in id curas impendam meas; ut quasdam modificationes sive præparationes proponam, quibus remedia aptiorem formam habeant; vel jucundiora fiant; quin aliquid virium suarum vel proprietatum amittant; & in his rationem habebo vel mollioris ætatis, ut in infantibus & pueris, vel delicatioris temperamenti magisque irritabilis & ab

usu medicinarum abhorrentis, ut potissimum esse queunt mulieres &c. Indicabo quoque remedia, quæ magis gratiæ conciliandæ vel luxui, quam necessitati inserviant, quæ idcirco utpote magni dispendii divitibus tantum congruere posse videntur. Demum vel in ipsis formulis præscribendis plura spectabo, formam nempe medicamentorum, colorem, odorem, saporem, idque pro varia ægrotorum ætate, indole, gustu.

Asterisco * notabo illud medicamentorum genus vel quorum virtus satis certa & tuta non est, vel quæ rarissimi usus sunt, quibus propterea necessarium absolute non est quamlibet officinam pharmaceuticam instructam esse; simplicia demum remedia vel alterius generis exprimam officinali tantum vocabulo.

Optari posse videtur ad finem hunc aptius fortasse obtinendum, ut non una generalis, sed plures pharmacopææ inter se distinctæ componerentur, quarum singulæ singulis personarum conditionibus, ætatibus, aliisque circumstantiis responderent, ita ut una esset pro pauperibus, altera pro castrensibus Nosocomiis, tum pro divitibus, itemque pro gravidis, puerperis, infantibus, &c. Sic enim Respublica id haberet, quo satis superque consulere posset civium suorum classibus diversis, ætatibus, conditionibus &c. per necessaria vel congrua subsidia ad eorum valetudinem conservandam vel recuperandam. Hoc sane systema saltem ex parte in aliqua regione usui esse incipit, in qua in lucem prodire videntur peculiares quædam pharmacopææ uni vel alteri personarum classi speciatim accommodæ. Sic nuperrime prodiit in lucem opusculum

auctore *Layardo*, quod hunc titulum præfert: PHARMACOPÆA IN USUM GRAVIDARUM, PUERPERARUM ET INFANTUM NOSOCOMII MIDDLESEZIÆ. Nondum tamen apparuit integrum opus quod singulas pro singulis objectis pharmacopæas distinctas complectatur, saltem prædicto fini adæquate respondentes. Quod quidem opus publici regiminis cura maxime dignum esse videretur, ac civium incolumitati egregie proficuum.

Scio quidem hoc utilissimum opus non carere prorsus incommodis suis, quæ tamen levia & parvi momenti reputanda sunt, cum omnium maximum esset aliquarum repetitionum incommodum, in quas facile esset incidere. Quod si cuipiam hoc systema ob hunc defectum aliosque fortasse, quibus obnoxium esse potest, omnino non placeat, is probabit magis generalem quemdem apparatum medicaminum universis totius Reipublicæ civibus accommodum, in quo omnes necessariæ observationes, præscriptiones & monita pro diversis circumstantiis & casibus accurate continerentur. Hoc enim modo Respublica quasi codicem quemdam simul collectum haberet, qui omnia necessaria medicinæ subsidia pro diversis civium conditionibus, ætatibus & classibus comprehenderet. Amplissimum opus esset & omni attentione dignissimum; sed ex æquo utilissimum, nec difficilis esset labor, maxime si aliquæ saltem pharmacopææ separatim instituerentur pro hac vel illa personarum classe, ut pro pauperibus, castrensibus &c. quibus deinde veluti ad complementum & coronidem adderetur pharmacopæa quædam generalis, quæ brevior

hac ratione evadere etiam posset, multis eorum omissis, quæ in separatis pharmacopæis tractata fuissent. Hanc methodum mihi proposuisse videor, vel saltem ad id viam præmonstrasse. Nam ad usum pauperum hunc apparatum medicaminum potissimum retuli; deinde ad usum castrensium nosocomiorum accommodari posse monstravi. Demum specimen generalis pro tota Republica apparatus medicaminum exhibeo. Quod quidem specimen si per alias observationes nostris addendas augeretur, quæ ea objecta respicerent seorsim tractanda, illud facile & exiguo temporis spatio ad optatum finem perduci posset.

Quæ tamen dum dico, intelligo de opere hoc perficiendo pro iis circumstantiis, quæ longiorem operis moram non permitterent, sed pro necessitate brevi conflandum postularent. Nec enim ignoro, ubi suscipiatur opus ab origine sua repetendum, renovatis omnibus præparationum processibus; rebusque omnibus ad novum examen calculumque redactis, multo longius temporis spatium postulari. Sed nec me latet per plures observationes & experimenta satis accurata, quæ capta sunt & ipsemet cœpi, tam multa non superesse, quæ in hac re desiderari possint, satisque per hunc apparatum medicaminum, cujus specimen nunc præbeo, & circumstantiarum necessitati, in quibus Respublica versatur, & ejusdem utilitati abunde consultum iri, dummodo perficeretur opus a viro expertissimo, vel melius non ab uno, sed ab expertorum hominum societate ad id delecta, quæ pro re nata

aliqua fortasse utiliter reformare posset, mutare, corrigere opusque diligentius perficere.

Quispiam fortasse voluisset aliquantisper parciorem remediorum præscriptionem. At ego tam avarus esse nolui, neque remediorum parsimonia tam rigida ad scopum generalis pro Republica medicaminum apparatus opportuna esse videtur. Aequum enim est, ut in remediorum delectu locum habeat discreta medicorum libertas, & ratio quoque habeatur ægrotorum commoditatis, quibus per remedia diversa succurri potest. Huc etiam revocari possunt rationes, quas attulimus in præfatione ad hunc apparatum medicaminum pro pauperibus; quæ quidem rationes multo magis in re nostra militant, cum de generali pro tota regione pharmacopæa conficienda agatur, in qua aptius quadrare potest, quod cum Professore *Moscato* dicebam, SATIUS ESSE ABUNDARE ALIQUANTULUM, QUAM POSSIBILI NECESSITATI DEESSE AUT ANGUSTIS NIMIUM FINIBUS MAXIMO ÆGRORUM DETRIMENTO CLINICEN OBSTRINGERE.

DE MATERIA MEDICA
SIVE
INDEX MEDICAMINUM SIMPLICIUM ET ALIQUORUM PRAEPARATORUM, QUÆ IN OFFICINIS SEMPER ESSE DEBENT IN PROMPTU, SED QUÆ AB IPSO PHARMACOPOLA NON PRAEPARANTUR.

Ea quæ scitu sunt necessaria circa remedia ad partem hanc pertinentia, acquiri possunt ex mul-

tis operibus ætate præsertim hac nostra de hoc argumento conscriptis. Præstantiora omnia huc spectantia inveniuntur in operibus *Murray* & *Gmelin.* Consuli præterea possunt opera *Cullen*, *Linnaei*, *Wallerii*, *William Levis* EDITIO PARISIORUM *Buchez* NOUVEAU TRAITÉ DE TOUTES LES PLANTES &c. *Woodwille* MEDICAL BOTANY &c. *La Mark*, *Bulliard*, *Delagrange* & aliorum plurium; variaque opuscula in lucem edita circa non pauca remedia; tum etiam PHARMACOPÆA HELVETICA, GANDAVENSIS, postrema WIRTEMBERGICA &c.; itemque FLORA *Nicolai Jacquin* aliaque ejusdem opera summæ utilitatis, FLORA *Oederi*, *Plenk*, *Allioni* aliæque non paucæ.

ABROTANUM. *Herba.*
ABSYNTHIUM VULGARE. *Herba.*
ACETOSA.) *Herba recens* ad parandum *succum* & *salem essentialem.*
ACETOSELLA.)
ACETUM VINI. Vid. *Carminati materia medica.*
ACONITUM. *Herba.*
ÆRUGO. VIRIDE AERIS. Vid. *Giobert* & doct. *Buniva.*
AGARICUS CHIRURGORUM. FUNGUS QUERCINUS.
* AGRIMONIA. *Herba.*
ALLIUM. *Bulbus*
ALOE HEPATICA &) *Succus foliorum inspissatus.*
SUCCOTRINA.)
Non ita pridem istæ acceptæ fuerunt pro duabus diversis succorum speciebus.
ALTHEA. *Folia* & *Radix.*

ALUMEN CRUDUM. Vid. *Chaptal* ANNALES DE CHYMIE &c. PARIS *Vauquelin* & *Berard*.

* AMBRA GRISEA. Vid. *Wallerius* & quidquid recenter dictum est ab *Schwediaur* & *Donadei*.

AMMONIACUM. *Gummi-resina*.

AMYGDALÆ DULCES. *Nuclei*.

AMYLUM ex tritico parato.

ANAGALLIS. *Herba*.

* ANETHUM. *Semen*.

ANGELICA. *Radix*.

ANGUSTURA. *Cortex*. Vid. *Wilkinson*, *Brande*, *Fourcroy*, *Withering*, *Profess. Carminati* doctor F. E. *Filter*.

Transmissa prima vice fuit a quodam medico ex Insula Trinitatis in Angliam anno 1788.; subsequenti anno & posteriori tempore ad usus medicos adhibita fuit. Creditur Peruvianam Angusturam angusturis aliarum regionum postponendam esse, cum istæ etiam in minori dosi præ illa operentur. Ab experimentis hujus remedii in febribus intermittentibus captis, quæ mihi perspecta sunt, constare videtur hoc quoad effectum omnes eas laudes non mereri, quibus celebratum fuit. Ut ut res sit, illud certo deprehendi hoc eam utilitatem non habere, quod in dosi paucorum granorum satis operetur, ut illi jactaverant, qui primi idem remedium celebrarunt; observatum enim est oportere hoc remedium præscribi in febribus intermittentibus in dosi aliquarum drachmarum, & interdum fere in eadem dosi, qua præscribitur china; atque in his dosibus præscriptum ea ipsa incommoda parere, quæ jam adnotaverant vel ipsi hujus remedii promotores. Ex quo constat ad edomandas febres

intermittentes, cum in dictis dosibus præscribendum sit, remedium esse non posse quod ab omnibus sine incommodo ferri possit. Cæterum fatendum est satis constare hujus remedii utilitatem in pluribus aliis circumstantiis, & vel in ipsis febribus intermittentibus aliquando non inutiliter adhiberi posse.

Illud rursus ab amico Taurinensi per litteras accepi hoc ipsum remedium deprehensum fuisse maxime proficuum uti antisepticum, immo vel ipsa china efficacius. Qua tamen de re, si fides præstanda sit observationibus & experimentis extra corpus humanum captis, aliter mihi sentiendum est, cum diversum exitum habuerint experimenta, quæ aggressus sum facere vel ipso tempore, quo chymicas experientias institui. Sed illud observare quoque mihi contigit magis antisepticam vim habere decoctum, quam ipsa angustura in substantia.

ANISUM VULGARE. *Semen.*

ANTHOS, ROSMARINUS. *Folia.*

ANTIMONIUM CRUDUM.

ARABICUM GUMMI.

ARGENTUM CUPELLATUM.

VIVUM.

ARMORACIA. *Radix* præcipue *recens.*

ARISTOLOCHIA ROTUNDA. *Radix.*

ARNICA. *Flos. Folia. Radix.*

ASSA FOETIDA. *Gummi Resina.*

ASSARUM. *Folia. Radix.* Vid. *Buchan* MEDICINA DOMESTICA editione aucta a *Duplanil.*

* ASTRAGALUS CICER. *Radix.*

AURANTIUM. *Flos. Folium. Poma matura & immatura.* CORTICUM FLAVEDO.

AXUNGIA PORCINA.
BALSAMUM COPAIVÆ.
PERUVIANUM.
* TOLUTANUM.
BARDANA. *Folia viridia. Radix.*
BECCABUNGA. *Herba* præcipue *recens.*
BELLA DONNA. *Folia. Radix.*
* BELLIS MINOR. *Herba* præsertim ad conficiendum *extractum.*
BENZOE. *Resina.* Substantia pro divitibus reservanda satisque opportuna ob ejus gratum odorem ad plures usus magis luxus quam necessitatis.
* BERBERIS. *Baccae recentes* pro parando *syrupo* & *conserva*, quæ præparata eisdem circiter usibus inserviunt, quos habent syrupus & conserva Citri; quæ idcirco pro omnibus necessaria non sunt.
BISMUTHUM.
BISTORTA. *Radix.*
BOLUS ARMENA.
BORAX.
BRYONIA. *Radix.* Vid. *Giobert* ANN. &c. T. ann. 1792.
CACAO. *Nuclei.*
CALAMUS AROMATICUS. *Radix.*
CALX VIVA.
CAMPHORA.
CANNABIS. *Semen.*
CANNELLA ALBA. *Cortex.* Hic cortex ejusdem generis est cum cortice Winterano, atque hi duo cortices multo similes sunt inter se proprietatibus suis. Vid. *Rozier.* Ex quo

colligitur cannellam albam vices explere posse Winterani.

CANTHARIDES. *Insectum integrum.* Vid. Forster & Fothergill.

CARDAMOMUM MINUS. *Semen* cum capsula.

CARDUUS BENEDICTUS. *Herba.*

* TOMENTOSUS. *Folia recentia.*

CARICA FICUS. *Receptaculum fructus.*

CARVUM. *Semen.*

CARYOPHYLLATA. *Radix.*

CARYOPHYLLI AROMATICI. *Germina immatura exsiccata.*

CASCARILLA. *Cortex.* Hic si incendatur, odorem emittit moschi, qui erumpit e cortice etiamsi repetitis vicibus cum aqua ebulliverit; immo in hoc casu odor moschi, qui exhalat, penetrabilior efficitur, ex quo colligitur in eo cortice resinam contineri, quæ ad qualitates MOSCHI multum accedit, ideoque hunc corticem rite administratum sive in substantia sive in præparatis suis esse debere excellens remedium.

CASSIA FISTULA. *Fructus.* *Vauquelin* de materia medica benemeritissimus ob plures valde utiles analyses multarum substantiarum medicinæ inservientium, quas ipse instituit & vulgavit, CASSIÆ quoque accuratam analysim fecit. Vid. Ann. chem. &c. Paris T. 6.

CASSIA LIGNEA. *Cortex interior.* Ob exiguitatem ingenii mei intelligere nequeo, qua ratione motus vir cl. *Murray* asseruerit hoc cortice nos omnino carere posse in Officinis. Quam opinionem alii non pauci sequuntur. Ex adverso ego sentio hunc proficuum & necessarium

esse, tum quia sæpe loco cinnamomi pari cum fructu adhiberi potest hic cortex, & minori dispendio, tum quia ratione suæ mucilaginis, qua abundat, non raro utilior esse potest & præferendus ipsi cinnamomo. Quod se expertum esse in praxi sua mihi testatus est cl. doctor *Borda Ticinensis*.

CASTOREUM RUSSICUM. *Materia in folliculis prope anum collecta.* Vid. *Carminati. Materia Medica.* Hæc substantia inter sua præcipua principia, ex quibus constituitur, constat resina, a qua magis quam ab alio principio pendet ipsius virtus & efficacia, quam *Fourcroy* analogam esse deprehendit resinæ, quam continet fel.

CATECHU vulgo TERRA JAPONICA. *Succus inspissatus.*

CENTAURIUM MINUS. *Summitates floridae.*

CEPA. *Bulbus.*

CERA ALBA & FLAVA.

CERUSSA. De damnis, quæ ab usu Cerussæ manare possunt maxime in cura puerorum, deque substantiis, quæ loco Cerussæ innocue subrogari possunt vid. quæ diximus, ubi de Cerussa in hoc apparatu medicaminum; quod si aliquando recensitæ ibidem substantiæ congruæ non sint, substitui possunt alii pariter innoxii pulveres, ut sunt bolus armena vel cornu cervi ustum, vel alii similes.

CEREFOLIUM. *Herba.*

CHAMEDRYS. *Herba.*

CHAMOMILLA VULGARIS. *Flos.*

* CHELIDONIUM MAJUS. *Herba.*

CHINA NODOSA. *Radix.*

* CHINA BRASILIENSIS. *Cortex.* Vid. *Comp-retti* in opusculo de hac china; tum meum d CHINA LUTEA.

CHINA COMMUNIS s. GRISEA; s. CHINCHI-NA s. PERUVIANUS CORTEX. Vid. *Ippo Ruiz.* CINCHONA CARIBÆA *Linnaei* ea es quæ præ cæteris magis ad OFFICINALEM accedit. Vid. *Rozier.*

CHINA FLAVA s. LUTEA. *Cortex.* Vid. opus meum.

CICHOREUM. *Herba recens & Radix.*

CICUTA VULGARIS. *Herba.*

CINNAMOMUM. *Cortex interior.* Doctor *Dan-cer* redux a Jamaica in Angliam nunciav Societati artium &c. Londinensi non pauc de hoc cinnamomo, quæ maximi momenti sun atque inter alia retulit folia plantarum esse fer æqualiter aromatica, ut est cortex ramorum, u propterea, ubi folia commercio adveherentu (& hinc in usu essent) multum conducerent a minuendum corticis pretium. Abs re non er hic addere observationem alteram de hoc cinna-momo, quam cl. Professor *Petrus Frank*, cur Viennæ degeret, adscitus, ut una cum alii pharmacopaeam austro-Castrensem componere mihi per epistolam communicavit eo ipso tem-pore, quo ejus consilio aggressus fueram emen datiorem editionem facere apparatus medica-minum ad usum Ticinensis Nosocomii, quen antea eo duce conflaveram. Sic ad me de ha re Gallice scripsit: AQUA CINNAMOMI *ser aussi bonne, si on la faira avec ce qu'on appell* FLORES CASSIÆ *ou* CLAVELLI CINNAMO-MI, *qui sont plus riches en huile essentielle, qu*

le cinnamomum mercantile. Je sais bien, que ces boutons ou CALICES, dont nous ne connoissons pas encore la vraie origine, ne viennent pas du LAURUS CINNAMOMUM; mais ils contiennent absolument le même huile, que l'écorce de celui ci, & ils sont à beaucoup meilleur marche. Hac de causa in eadem pharmacopoea austro-Castrensi loco cinnamomi clavellos supradictos retentos fuisse video. Licet alii in contraria opinione versentur, ego multum optarem, ut isti deducerentur ad usum, atque dolendum apud nos eos minime commercio prostare.

CITRUS. LIMONIA. *Fructus recens. Succus. Cortex exterior* sive *Flavedo* & *Semen siccum.*

Quod ad succum acidum horum fructuum, quotidiano, ac usu communi notissimum, pertinet; hic succus illud habet incommodi, quod haustus e fructibus facile, ac brevi marcescat, ac propterea multum ammittat aciditatis suæ, gratique saporis nulliusque usus demum fiat. Id quod nos cogit ad exprimendum e fructibus succum hujusmodi eo momento temporis, quo eodem utendum sit. Hæc incommoda plures illustres auctores impulerunt ad varia tentamina suscipienda, ut methodum invenirent, qua succus iste maximæ utilitatis & ad plures usus mire opportunus servari posset diutius a corruptionibus immunis, & aptus ad plures alias opportuniores formas induendas.

Georgius in Svecia ann. 1774, & *Dubuisson* ostenderunt succum hunc absque corruptione longo tempore servari, immo obtineri posse fortem maximeque coactum sive concentratum.

Rursus *Scheele* demonstravit eo perveniri posse, ut non solum acidus iste purus maximeque concentratus obtineatur, sed etiam in cristalla subactus. Cujus processus ad id consequendum adnotationibus & emendationibus auctus fuit a Cl. *Dizè*. Alio quoque processu, ab eo longe diverso, quo usi sunt celebres isti duo chymici, longeque expeditiori usus est celeb. *Lowitz* ad eundem consequendum effectum. Nimirum usus simplici carbonis pulvere ex quo obtinuit acidum citricum in cristalla regularia, ac prorsus alba redactum.

Quadraginta succi citrici depurati (quo in statu dicitur acidum citricum) & in cristalla redacti grana satis sunt efficiendæ ex aquæ copia duarum circiter librarum pótioni citricæ maximæ elegantiæ, atque saporis; quæ quidem potio gratior adhuc effici potest, ubi aliqua portio sacchari, aut alicujus syrupi, aut elæosacchari in eo solvatur.

Methodus recenter invecta sic depurandi succum citri, ut possit diu perdurare absque ulla alteratione, & obtineri possit concentratus, ut ajunt, multoque magis in cristalla subactus censeri utilissima debet, ac longe majoris momenti, quam ut prima fronte videri possit, cum ea ratione facile ac tuto ejusmodi succus etiam in longinquas regiones transferri queat, ac ita incolæ illarum terrarum, in quibus fructus hujusmodi magna in copia se proferunt, constituuntque partem eorum commercii, proprium lucrum augere commode possint vel saltem multipliciter illud certum reddere. Quod obtineri sane non videtur absque prædictæ methodi

cognitione, immo non exiguum damnum perciperent, ut reapse percipiunt, quotiescumque horum fructuum magna copia colligitur, nec copia collectæ exitus respondet, vel ubi eorum fructuum commercium variis, qui sæpe oriuntur, de causis prohibetur, vel intercipitur. Rursus per eam, de qua loquimur, methodum tota, quæ late patet, fructuum copia ut ut maxime abundans lucro tutissime apponi potest, tum ea quoque, cui corruptionis periculum immineret, ad utilitatem converti. Quæ sane utilitates non exigui momenti sunt, nec percipi sine recensita methodo ullo modo possunt.

Expediret igitur ad hæc commoda consequenda in iis maxime regionibus, in quibus ex citri, ac limoniorum fructibus magna commercii pars constituitur operarios deligere aptos parando magna in copia acido citrico depurato ac concentrato vel etiam in cristalla redacto. Hoc enim modo duo alia commoda, ut alia multa præteream, obtinerentur. Illud enim primum assequeremur, ut constans certusque redderetur quovis anno, & tempestate qualibet usus acidi citrici, cum ex adverso sæpe contingat vicissitudine tempestatum, nec quolibet anno, nec quovis tempore haberi posse, sed sæpe desiderari. Aliud quoque commodum facile oriretur, quod nempe succus citri minori pretio constanter acquiri posset, quam passim habetur pro variis temporum circumstantiis. Ex quo alia quoque traheretur utilitas magni sane momenti, ut nempe latius extendi posset usus hujus succi etiam ad illud infirmorum genus, quibus raro potest ille præberi, vel saltem in iis circumstantiis præberi

facile posset, in quibus magnæ utilitatis, ac levaminis iisdem esset. Quamvis enim generatim verum sit vices acidi citrici suppleri posse per aliud acidorum vegetabilium genus vilioris pretii, illud tamen est certum, in aliquibus casibus, et pro personarum temperamento acidum citricum esse magni subsidii ac cæteris acidis, quæ subrogari eidem possent, procul dubio præferendum.

COFFEA. *Semina.* vid. Opusc. *Beniamin Mosely* OBSERVATIONS ON THE PROPERTIES AND EFFECTS OF COFFEE.

COCHLEARIA HORTENSIS. *Herba recens.*

* COCCINELLA. *Insectum integrum* Hæc substantia in medicina spectari potest ut pertinens ad purum luxum, sive ad impertiendum alicui remedio colorem.

COLCHICUM. *Bulbus recens. Giobert* ex viginti quinque libris hujus bulbi hausit quinque amyli libras. Quoad gustum non differt ab ordinario amylo grani, sibique visus est deprehendisse nullam ex noxiis plantæ qualitatibus illud amylum retinere.

* COLOCYNTHIS. *Fructus decorticatus.*

COLOMBA. *Radix.*

CONSOLIDA MAJOR. SYMPHYTUM. *Radix.*

CONTRAJERVA RECENS. *Radix.*

CORIANDRUM. *Semen.*

CORNU CERVI. *Rasura.*

CRETA.

CROCUS. *Stigmata florum.*

* CUCUMIS ASININUS. *Fructus.*

CURCUMA. *Radix.*

DAUCUS SYLVESTRIS. *Radix.* Hæc sylvestris apud *Longobardos* BASTONAGGIA; ubi ex-

culta fuerit in hortis, aut viridariis crassior ac pinguior evadit, quæ communi vocabulo CAROTA dicitur. Et ubi carota ab hortis iterum transferatur in agros, redit ad pristinum statum, in quo dicitur BASTONAGGIA, id est in radices convertitur angustiores, minusque pingues, fragrantiores tamen & efficaciores.

* DENTILLARIA. *Folia.*

DIGITALIS PURPUREA. *Folia.*

DULCAMARA. *Caules* vulgo *stipites.* Vid. Doct. *Althof.*

EBULUS. *Baccæ* pro conficiendo *succo* ad parandum *Roob.*

ELEMI. *Resina.*

ENULA CAMPANA. *Radix.*

EUPHORBIUM. *Gummi-Resina.*

FABA. *Farina.*

* FARFARA. TUSSILAGO. *Folia.*

FEL TAURI.

FERRUM. MARS. CHALYBS.

FILIX MAS. *Radix.*

* FLAMMULA JOVIS. *Flos.* *Folium.*

FOENICULUM DULCE. *Herba. Radix. Semen.*

FOENU GRÆCUM. *Semen.*

FUMARIA. *Herba.*

GALANGA. *Radix.*

GALBANUM. *Gummi-Resina.*

GALLÆ TURCICÆ. *Nidus Insecti.*

GENTIANA. *Radix.*

GEOFFROYA SURINAMENSIS. *Cortex.* Vid. opusc. *Bondt.* Hic cortex ad medicos usus utilis agnitus fuit anno 1770. a medico Surinam. *Van Stuyvesant*, & quidam *Juliaans* omnium pharmacopolarum in Europa primus hunc

corticem distribuit, ejusque chymicam analysim instituit. Alia quoque nova species *Geoffroya*, quæ dicta fuit JAMAICENSIS ab eodem *Bondt* descripta; a clinicis obtinuit locum in medicina, sed huic altera SURINAMENSIS præferri meruit, ac tutior credita est.

GRAMEN. *Radix.*

GRANATUM. *Flores. Cortex.*

GRATIOLA. *Herba. Radix.*

GUAIACUM. *Cortex. Lignum, & Gummi-Resina.*

GUMMI GUTTA. *Gummi-Resina.*

HELLEBORUS ALBUS. *Radix.*

HELLEBORUS NIGER. *Radix.*

HELMINTOCHORTON. vid. *Bouvier.*

HIPPOCASTANUM. *Cortex.*

HORDEUM. *Semen.*

HYOSCIAMUS. *Herba & semen.*

HYPERICUM. *Flores.*

HYSSOPUS. *Herba.*

JACEA. VIOLA TRICOLOR. *Herba.*

JALAPPA. *Radix.*

ICHTHYOCOLLA.

IMPERATORIA. *Radix.*

IPECACUANHA. *Radix.*

IRIS FLORENTINA. *Radix.*

JUGLANS. *Cortex viridis fructuum s. nuc.*

JUNIPERUS. *Baccæ maturæ & immaturæ & Lignum.*

* KINO GUMMI GAMBIENSE. *Gummi-Resina.*

LAC VACCINUM.

LACCA. *Resina.* Hac medicina carere posset, eaque pro solis divitibus reservari ad elegantem quemdam colorem aliquibus præparatis conferendum.

* LACTUCA SYLVESTRIS. *Herba viridis* pro conficiendo *extracto* sive *succo inspissato.*
LAPATUM ACUTUM. *Radix.*
LAVENDULA. s. SPICA. *Flores.*
* LAURO-CERASUS. *Folia.* vid. Dissert. *Doeltz* tum alia, quæ prodiit SENIS anno 1792.
LAURUS. *Folia* & *Baccæ.*
LICHEN ISLANDICUS. *Planta integra.*
LINUM VULGARE. *Semina.*
LINUM CATHARTICUM. *Herba.*
LIQUIRITIA. *Radix. Extractum* vulgo dictum. *Succus.*
LUPINUM. *Farina.*
LYCOPODIUM. *Herba. Pollen.*
LITHARGYRUM.
* MACIS. *Fructus* s. *Nucis Moschatæ involucrum carnosum.*

Aroma majoris dispendii quam alia, quæ substitui œconomiæ causa possunt cum pari fructu, ut inter alia est Nux moschata. Quare si lubeat pro divitibus reservari potest.

MAGNESIA VITRARIORUM.
MAJORANA. *Herba.*
MALVA. *Folia.*
MANNA ELECTA.) *Succus Concretus Saccharinus.*
MANNA CANNULATA.)

Hæc ultima pro divitibus opportunum remedium est in pluribus casibus, sed non ut remedium purgans, cum multo minus purget, quam manna communis.

MARRUBIUM ALBUM. *Herba.*
MASTICHE. *Resina.*
MATRICARIA. *Flos* & *Herba* præcipue recen-

tes ad parandam ejusdem AQUAM DESTILLATAM.

MEL COMMUNE PURUM.

MEL HISPANICUM Pro divitibus tantum remedium est subrogandum MELLI COMMUNI, cum sit majoris dispendii, sed saporis longe gratioris & jucundioris.

* MELILOTUS. *Flos. Herba.*

MELISSA. *Herba.*

MELO. *Semina.*

* MELOE MAJALIS. *Insectum.*

MENTHA CRISPA. *Herba.*

- - - PIPERITA. *Herba.*

MEZEREUM. *Cortex.*

MILLEFOLIUM. *Summitates Floridæ.*

MINIUM.

MOSCHUS. *Materia in folliculis prope umbilicum collecta.* Vid. compendium analysis, quam institui, insertum primo fasciculo collectionis rerum mearum in linguam Germanicam translatæ a Professore *Titio.* Videri posset abs re non esse huc referre etiam MOSCHUM ARTIFICIALEM. Sed quamvis hunc maxime commendatum esse sciam a *Stoeller* (*Med. Beobacht.*), aliisque recentioribus scriptoribus, ab eo tamen recensendo abstinere volui. Licet enim hunc moschum maxima diligentia parare studuerim juxta præcepta, & normas, quas præbuerant *Margraff, Hasse* &c., ab ea tamen opinione discedere coactus sum, quam vel ipse primum de hoc præparato conceperam, cum experimentis, & praxi didicerim non solum ipsum nequaquam imitari moschi veri qualitates & vires, sed nihil communis

habere cum ipso. Quare evanuit omnis spes utilitatis maximæ, quæ ab ejus usu in ea hypothesi oriri potuisset, ac dolui vehementer præparatum hujusmodi nec locum quidem inter remedia vere utilia mereri posse.

MYRRHA. *Gummi-Resina.*

NASTURTIUM AQUATICUM. *Herba recens.*

NICOTIANA. PETUM. TABACUM. *Folia.*

NITRUM. vid. *Lavoisier* ANNAL. DE CHYMIE &c. PARIS.

NUX MOSCHATA, s. MYRISTICA. *Fructus* s. *Nux.*

* NUX VOMICA. *Nuclei.*

* OLEUM CAJEPUT. Vid. dissert. *Adami* & vid. *Sande*, *Hahnemann*, *Bindheim.* Unicum pro divitibus remedium, utpote maximi dispendii, & aliis remediis non difficile supplendum.

OLEUM OLIVARUM.

OLEUM VITRIOLI.

OLIBANUM. THUS. *Resina.*

ONONIS SPINOSA. *Radix.*

OPIUM. *Succus condensatus gummi-resinosus*, vid. OPIOLOGIA *Wedellii.*

ORIGANUM. *Herba.*

OVUM GALLINACEUM.

PAPAVER ALBUM. *Capsulæ* vulgo *Capita. Semina.*

PAPAVER ERRATICUM. *Flos.*

* PAREIRA BRAVA. *Radix.*

PETROLEUM. OLEUM PETRÆ. Vid. *Neumann.*

PETROSELINUM. *Semina. Herba recens* ad hauriendam AQUAM DESTILLATAM *Radix.*

PIPER ROTUNDUM, s. NIGRUM. *Fructus.*

PIX NAVALIS.

PIX LIQUIDA.
PLUMBUM
POLYGALA AMARA. *Radix.*
- - - VIRGINIANA, s. SENEKA. *Radix.*
- - - VULGARIS. *Radix.*
* POLYPODIUM VULGARE. *Radix.*
PRUNUS DOMESTICA. *Fructus.*
PULEGIUM. *Herba.*
PYRETHRUM. *Radix.*
QUASSIA. *Lignum.* Remedium tantopere commendatum non solum ab *Haller*, *Borserio*, *Tissot*, aliisque, sed etiam a pluribus recentioribus, inter quos *Severi*, *Farley*, *Long*, *Blom*, *Lettsom*. Cæterum cum ejus tota vis in amaritudine posita sit, qua ipsum maxime abundat, intelligere non possum, cur tam effusa elogia mereatur, ejusque loco substitui nequeant alia regionum nostrarum remedia. Qua de re legi potest etiam MATERIA MEDICA *Carminati.*
QUERCUS. *Cortex. Glandes.*
RESINA PINI.
RHEUM s. RHABARBARUM. *Radix.* Vid. *Ball.*, *Hainard*, & *Haguord.*

Cum ego attentionem convertissem ad ea remedia, quæ pro dato tempore aliquid energiæ ac virtutis sibi propriæ amittere solent, experiri volui, an id reapse contingat, & quo gradu, & quasnam proprietates eo in casu amittant; vel acquirant; atque ad examen revocare studui remedia magis energica & usitata, & in primis *moschum*, *sinapem*, *cantharides*, *valerianam silvestrem* ac *celticam*, & *Rhabarbarum.* Quod circa valerianam expertus sum, alio in loco explicavi. Quod ad tria priora remedia attinet, de-

prehendi ea reapse ad datum tempus amittere quidpiam virium suarum propriæque efficaciæ. Quod vero circa rhabarbarum deprehendere mihi licuit saltem observatione dignum paucis verbis aperio. Quamvis hæc exotica radix servata fuisset in pulvere negligenter custodito simplici chartæ involucro quatuor annorum spatio ad dosim duorum scrupulorum, in infusione autem tam in aqua,, quam in chinæ decocto in duobus febris, ut ajunt nervosæ casibus ad dosim unius drachmæ cum dimidio satis in adultis infirmis efficax fuit ad promovendas evacuationes, retenta semper eximia sua proprietate non labefactendi vires, deprehendique præterea in hoc statu cum ipsius actione conjuncta non fuisse ejus generis incommoda, quæ comitari passim solent usum recentis, bonæque qualitatis rhabarbari; nec odorem, saporemque prodire observavi adeo molestum, multisque nullo modo ferendum, quem præferre solet recens Rhabarbarum. Hæ variæ qualitates ac proprietates, quas, cum senescit, amittit, eodemque tempore acquirit rhabarbarum, usum ipsius indicatum multis in casibus præferre possunt vel ipsi rhabarbaro recentiori. Hac enim ratione bono cum exitu in iis casibus & infirmis præbebitur rhabarbarum, in quibus illud indicatur, & exiguntur per alvum evacuationes, quin vires debilitentur, et quin molestia, fastidiumque afferatur, aliaque incommoda, quæ secum affert in statu suo naturali sumtum, adeo quibusdam infirmis onerosa, & gravia, ut ab his nullatenus vinci possint, nisi cum maxima renitentia.

Cæterum is ego non sum, qui velim sine

nullo discrimine adhibendum esse, vel omni in casu præferendum retentiori antiquius Rhabarbarum, cum generatim loquendo verum sit, oportere semper præferri remedium non tam instructum bonis qualitatibus, quam statu recentius. Eum tantum finem mihi proposui, ut demonstrarem, uti nos posse rhabarbaro, & si vetustiori aliquibus in casibus eoque ut excellenti remedio, interdum præferendo vel ipsi recentiori rhabarbaro, vel saltem illud negligendum non esse tamquam inutile nulliusque momenti remedium. Cæterum illud monere debeo, in inquisitionibus meis me usum fuisse rhabarbaro, quod ab origine sua optimum erat.

RIBES RUBRUM. *Fructus* pro paranda CONSERVA & SYRUPO, de quibus huc revocentur, quæ diximus de BERBERE.

RICINUS. *Semen.*

ROSA RUBRA. *Petala.*

* ROSMARINUS SYLVESTRIS. *Folia.*

RUBIA TINCTORUM. *Radix.*

* RUBUS IDÆUS. *Fructus* ad parandum ACETUM & ROOB sive CONSERVAM voluptatis potius causa, quam necessitatis adhibenda.

RUTA GRAVEOLENS. *Herba.*

SABADILLA. *Semen.*

SABINA. *Frondes.*

SACCHARUM ALBUM & COMMUNE.

SAGAPENUM. *Gummi - Resina.*

SAL AMARUS CATHARTICUS. Vid. *Hecht & Hoppe.*

- - AMMONIACUS.

- - CULINARIS. Vid. *Green.*

* SALEP. *Radix.*

* SALICARIA. LYSIMACHIA. *Folia.*
SALIX ALBA. *Cortex.*
SALVIA. *Folia.* Huc referre vacat cogitata quædam, ut mihi videntur prudentissima, quæ circa herbam *Thè* collegit, ac retulit, qui historiam itinerum celebris *de la Harpe* persecutus est, qui non sine ratione creditur esse celebris *Dom. Fortis.* In Insula *Cherso* & *Osero* ad Dalmatiam pertinente salvia communis odora adeo multis in locis dominatur, ut cæteras plantas fere excludere videatur. Perspectæ sunt omnibus insitæ salviæ proprietates aptissimæ ad vires corporis servandas & augendas. Sinenses, qui Europæ incolis herbam Thè vendere solent, mirari non desinunt, quod cum habeant Europei apud se maximam salviæ copiam, mercari apud ipsos studeant herbam Thè, quam ipsi putant multo minoris pretii, & efficaciæ. Illud est certum mercatores Belgicos maximam salviæ quantitatem vili pretio emere solere ad littora mediterranei, maximeque in Provinciæ regionibus eamque deferre ad Japonenses vel Sinenses, a quibus vel pecuniam, vel duplum aut sæpe triplum herbæ Thè permutando accipiunt.

Alibi etiam memini me dixisse ostensum fuisse a *Roemerio*, aliisque maxime congruere posse mentham piperitidem, immo præferri posse vel ipsi Thè, ex quo colligere fas est, quantum expedire possit ad exclusionem herbæ Thè usum inducere unius, aut alerius dictarum herbarum vel aliarum similium odore, & aromaticis qualitatibus præstantium, quarum copia Italiæ regiones abundant. Ego certe non dubito, quin exteri non mirentur solum, sed rideant sæ-

pius inscitiam, vel levitatem nostram, cum videant nos esse tam cupidos rerum suarum medicinæ causa huc advehendarum maximo labore, ac dispendio, nostra vero, quorum copia jam pene obruimur, virtute paria, interdum etiam utilitate potiora tam stulte negligere, ut vel nunquam, vel non nisi raro ea ad usus medicinæ, quibus extranea applicantur, adhibeamus.

Quare nunquam satis inculcatur, ea, quæ tellus nostra prodit, quantum fieri possit, esse extraneis subroganda. Certum enim est apud nos multas substantias existere, quæ subrogari merito possent earum multis, quæ e longinquis regionibus magnis expensis, & incommodis huc afferuntur. Opus sane esset *Principe* dignum, populisque maxime proficuum viros seligere ingenio, doctrina, probitate præditos, qui in hanc rem sedulo inquirerent seriemque remediorum efficerent, quæ præsertim difficilius advehuntur, magisque necessaria, ac dispendiosa sunt, aut facilius periculum habent corruptionis vel adulterationis, atque per experimenta rite instituta vim probarent totidem telluris nostræ productorum, atque extraneis ea subrogarent, quæ experirentur virtute paria, vel etiam interdum utilitate præstantiora. Plures sane utilitates ex hoc opere fluerent. Nam ut alia prætereaam tanta vis pecuniarum non manaret ad exteros populos, quanta a nobis advehitur pro comparandis extraneis medicinæ remediis: remedia præterea in promtu haberemus minimi pretii eorum loco, quæ insigniter sunt dispendiosa: lucro quoque multæ substantiæ apponerentur magna commercii nostri utilitate, quæ vix nobis innotescunt vel contem-

tui sunt nulliusque, aut minimi saltem usus. Tutiores etiam essemus de aromatum nostrorum integritate cum longius arceri posset periculum eorum corruptionis, vel adulterationis, quod difficilius vitatur, dum remotius petita aromata advehuntur, ac per tot manus pertranseunt. Illud demum commodum haberetur, quod remediorum delectus apud nos facile haberetur, eorumque acquisitio opportuno tempore fieret. Id quod sæpe vetant fieri innumerabiles rerum temporumque vicissitudines, quod ad aromata, vel alia quælibet spectat, quæ ab extraneis regionibus maximeque ab Europa dissitis comparari solent.

SAMBUCUS. *Cortex interior. Flores. Baccæ.*

* SANGUIS DRACONIS. *Resina.* Vid. Epistolæ doctor. *Konig* ad Prof. *Retzium* conscriptæ. Hac substantia carere posset medicina, vel saltem utendum pro solis divitibus, ubi agatur de elegantia coloris alicui formulæ impertienda, quæ proprietatibus remediorum cohæreat, uti essent remedia dentifricia, vel ad alios usus.

SANTONICUM. CIÑA. CONTRA. *Semen.*

SAPO COMMUNIS. Pro usibus externis tantum.

SAPONARIA. *Herba. Radix.*

SARSAPARILLA. *Radix.*

SASSAFRAS. *Lignum.*

SCAMMONEUM. *Gummi-Resina.*

SCORDIUM *Herba.*

SCORZONERA. *Radix.* SCORZONERA HUMILIS magis efficax quam HISPAN. juxta *Baldinger.*

* SCROPHULARIA NODOSA. *Folia. Radix.*

SECALIS. *Farina.*

* SEMPERVIVUM MAJUS. *Herba recens.*

SENNA. *Folia.* *Legumina*, vulgo *Folliculi.*
SEPIA. *Os.*
SERPENTARIA VIRGINIANA. *Radix.*
SERPILLUM. *Herba.*
SIMARUBA. *Cortex.*
SINAPIS. *Semen.*
SOLANUM HORTENSE. *Folia.*
* SPATUM PONDEROSUM. Caracteres, quibus insigniri debet, collecti inveniuntur in opusculo doctoris *J. A. Schmidt* sub titulo: DE BARIT. MURIAT. SPEC. PRIM. & SECUND.
SPINA CERVINA. *Fructus.*
SPONGIA. Vid. Physicus *Ziegler.*
SQUILLA. *Bulbus.*
STANNUM ANGLICANUM. *Limatura.* Vid. *Fothergill* & *Lindemann.*
STAPHISAGRIA. *Semen.*
STYRAX CALAMITA. *Resina sicca.*
\- - - LIQUIDA. *Resina fluida.*
SUCCINUM.
SULPHUR.
TAMARINDUS. *Fructuum pulpa.* Vid. *Vauquelin* ANNAL. DE CHYMIE &c. *Paris* T. 5.
TANACETUM. *Herba.* *Flores.*
TARAXACUM. *Herba recens.* *Radix.*
TARTARUS CRUDUS.
\- - - DEPURATUS vulgo CREMOR TARTARI.
TEREBINTHINA COMMUNIS & PURISSIMA.
THEA. *Folia.*
THYMUS. *Herba.*
TORMENTILLA. *Radix.*
TRAGACANTHA. *Gummi.*
TRIFOLIUM FIBRINUM. *Herba.*

TUTIA.
VALERIANA SYLVESTRIS. *Radix.*
VERBASCUM. *Folia.* *Flos.*
* VERBENA. *Herba* vid. *Carminati* MATERIA MEDICA.
VINCETOXICUM. *Radix.*
VINUM.
VIOLA ODORATA. *Petala* potissimum ad conflandum SYRUPUM.
* VISCUM QUERCINUM. *Lignum.*
VITRIOLUM ALBUM seu *Zinci.*
- - - CÆRULEUM seu *cupri.*
- - - VIRIDE seu *martis.*
ULMUS. *Cortex medius ramorum.*
* URTICA. *Herba.*
UVA URSI. *Folia.*
* ZEDOARIA. *Radix.*
ZINCUM.
ZINGIBER. *Radix.*

DE

PRÆPARATIS ET COMPOSITIS.

In his indicandis proferam nomina auctorum, aut opera, in quibus reperiuntur modi, processus accuratiores, utiliores, faciliores pro iis exequendis, & eorum observationes, quæ alicujus momenti sint circa eadem præparata & compo- sita, ac prout res postulabit, addam observationes meas, vel ad illustrandos, vel ad corrigendos, ubi opus sit, aliorum processus & cogitata.

Paucæ formulæ exhibebuntur medicaminum, ut ajunt magistralium, sive quæ parantur ex tempore, ac istæ notabuntur duobus asteriscis **. Licet enim earum copia ad usum Nosocomiorum prodesse possit, in re nostra prorsus est inopportuna, cum consultius sit eas dimittere medicorum, aut Chirurgorum arbitratui, & ingenio, pro variis, quæ possunt occurrere, circumstantiis.

Sed quoniam utilitas postulat, ut determinentur & recenseantur aliqui canones, seu generalia præcepta in præparationibus pharmaceuticis observanda, hinc opportunum esse judico præmonere de auctorum, vel operum nominibus, in quibus de iisdem disseritur, & quæ legi merentur, ut in hac re major cognitionum copia acquiratur. Hæc autem potissimum sunt, quæ sequuntur. APPARATUS MEDICAMINUM NOSTER. *Baume* ELEM. DE PHARMACIE. *Retzius. Sonnaver. Hagen. Spielmann.* PHARMACOPÆA DANICA, EDINBURGENSIS cum ad-

ditamentis *Baldinger.* *Gmelin.* *Jacquin* DE COMPOSITIONIBUS MEDICAMENTORUM *Cartheusser.* PHARMACOLOGIA *Tavares*, editioni. post 1787. *Hoffmann.* *Gaubius:* *Laugier* INSTITUTIONES PHARMACEUTICÆ. PHARMACOPOEA HERBIPOLITAN.; DE LYON &c. DISPENSATORIUM FULDENSE. *Pilcher*; *Pipenbring*, *Moench*, *Hermbstadt*, *Bindheim*, *Biedermann*, *Witwer*, *Herold*; *Piderit*; *Keupp*, *Sande*, *Hahnemann*; *De Machy*; *Delagrange* & aliæ plures.

Cæterum, ubi ageretur de generali pharmacopœa consarcinanda, res longe perfectior fieret, si canones atque præcepta, quæ pro variis præparationibus exequenda sunt, seorsim simul collecta ponerentur, cui alia multa præcepta; & observationes pro pharmacopolis, medicis, atque chirurgis adjungi commode possent. Optima autem ac ætate nostra dignissima præ cæteris pharmacopœa in tres omnino partes dividi posset, quarum prima generalia præcepta, utilesque observationes complecteretur pro accurata & justa notione exhibenda, & explicanda præparatione, conservatione præparatorum, compositorum & simplicium; tum etiam pro simplicium collectione; duæ vero postremæ de his omnibus agerent juxta normam & methodum, quam in hoc apparatus specimine tenuimus. Hoc quidem opus si fieret, tam brevis & expeditæ executionis non esset. Ubi tamen urgeret necessitas, ordiri quis posset a secunda & tertia parte, ac ultimo loco priorem partem relinquere.

ACETUM ANTISEPTICUM, s. AROMATICUM, s. PROPHYLACTICUM, vid. APPARATUS MEDICAMINUM AD USUM NOSOCOMII CIVICI MEDIOLANENSIS ANNO 1786. Expedire potest loco rorismarini addere absynthium, & unciam dimidiam Camphoræ.

ACETUM COLCHICI. Vid. PHARMACOPÆÆ BREMENSIS editionem Italicam factam a doctore *Volpi.* Impendi tamen possunt unciæ duo Bulbi Colchici.

* ACETUM ROSACEUM. Vid. Ph. SVECICAM. Præparatum luxus solisque divitibus reservandum. Cæterum opus absolute non est aceto concentrato ad hanc præparationem conflandam, cum commune sufficere possit.

ACETUM SATURNI s. LYTHARGIRII, vid. NOST. APPARATUM.

ACETUM SATURNI CONCENTRATUM vulgo EXTRACTUM. Vid. PH. BREMENSIS. Lectu digna est in hac re, quod spectat ad AQUAM VEGETO-MINERALEM dissertatio A. I. G. *Murray* 1788.

ACETUM SQUILLÆ, s. SCILLITICUM, vid. NOST. APPARAT.

ACETUM VINI CONCENTRATUM, vid. DISPENSATORIUM UNIVERSALE *Reuss* editio 1791.

ACETUM VINI DESTILLATUM. Vid. PH. BREMENSIS.

ACETUM VINI DESTILLATUM CONCENTRATUM s. ACETUM RADICALE. Vid. PH. COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS editio Papiensis an. 1788. not. 6. & Ph. AUSTRIACO-PROVINC. EMEND.

ACIDUM BENZOICUM vulgo FLORES vid. *Baumè*, *Scheele*, *Poerner*; *Green*; *Sande* & *Hahnemann*. Remedium maxime energicum; quod a medicis negligendum non esset, pro solis tamen divitibus adhibendum.

ACIDUM BORACICUM vulgo SAL SEDATIVUM HOMBERGII vid. PH. BREMENSIS. *Pipenbring*. *Reuss*.

Hoc acidum jure recenseri meretur pro divitibus tamen duntaxat inter utilia remedia, non quidem pro iis effectibus, pro quibus olim magna cum fiducia præscribi consueverat, sed ob fines omnino diversos. Non ita pridem hoc a quibusdam propositum fuit ut optimum remedium purgans, parum irritans, equivalens effectibus cremoris tartari; ubi dictum acidum ea, quæ convenit, dosi subministretur. Qua de re nihil habeo quod addam, cum hujus remedii vim nunquam in hunc finem expertus fuerim. Id unum dici potest, si revera prædicto fini inserviat, medicinam fore pro divitibus maximè opportunam; cum per hanc vetarentur incommoda mox exponenda, quæ ab usu sæpe manant cremoris tartari. Utile sane esse potest, hoc acidum præscribere mixtum cum cremore tartari. Neminem latet usum cremoris tartari tam frequenter adhibitum a medicis aliquibus ægris incommodum afferre; cum enim satis in aqua solubilis non sit; nisi in exigua quantitate, semper ille suspensus hæret in liquidis, in quibus sumitur, excitatque in ore quamdam terræ sensationem delicatis & irritabilibus ægrotis ingratam. Ut hoc vitaretur incommodum, excogitati sunt modi, quibus etiam in mediocri aquæ copia solubilis fieret;

atque hinc originem habuit præparatio sic dicti CREMORIS TARTARI SOLUBILIS; at ego primum deprehendi hanc præparationem evadere multo ingratiorem vel ipso cremore tartari; animadverto præterea cremorem tartari in hac præparatione aliquas suarum proprietatum amittere, aliasque acquirere, quæ in aliquibus casibus fini minime respondent, ad quem præscriptio ordinatur, ut propterea hanc medicinam exulare debere censerem pro quavis hominum conditione. Sane cum jam experientia constet quatuor partes cremoris tartari unamque acidi boracici accurate mixtas etiam per solam triturationem maxime solubiles fieri vel in ipsa aqua frigida, opportunum crederem hanc mixtionem etiam in medicina utiliter posse adhiberi. Per hanc enim plures utilitates obtineri possunt; primum expeditior atque facilior cremoris tartari solutio efficitur: hinc secundo cremor tartari exhibetur vere solutus: tertio mixtio retinet easdem cremoris tartari proprietates & fortasse in aliquo casu cum earum incremento; ac demum minus ingrata & injucunda pro ægris evadit; immo libentius sumitur.

ACIDUM MURIATICUM COMMUNE. Vid. PH. AUSTRIACO-CASTRENSIS & AUSTRIACO-PROVINC. EMEND. *Sande & Hahnemann.*

ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM. Vid. GAS ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM s. AQUA FORTIS vid. apparat. nostr. Videatur opusculum meum, cui titulus est: Osservazioni sull'

ossigeno come rimedio nella cura di alcune malattie, e particolarmente delle veneree ecc.

ACIDUM NITROSUM, seu SPIRITUS NITRI FUMANS vid. ELEMENTA CHYMIÆ *Jacquin. junior.*

ACIDUM PHOSPHORICUM vid. *Berthollet*, *Nicolas*, *Wiegleb.* Videatur *Berthollet*, qui asserit acidum phosphoricum videri aliqua virtute præditum pro multis infirmitatibus adjuvandis, ut in morbis articulorum, calculorum, rheumatismi &c.

ACIDUM SUCCINICUM s. SAL VOLATILE SUCCINI, vid. PH. EDINBURG. *Bidermann*, *Herold. Bindheim* — HANDLUNGS-ZEITUNG 1764. *Sande & Hahnemann. Lowitz. Hermbstaedt.*

ACIDUM SULPHURICUM s. VITRIOLI CONCENTRATUM ac RECTIFICATUM vid. A. N.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM s. ACIDUM VITRIOLI DILUTUM vel TENUE vid. A. N. Vid. *Porrati.*

ACIDUM SULPHURICUM DULCIFICATUM s ELIXIR *Halleri & Dippellii* sive AQUA *Rabelii* vid. APPARAT. NOST. Hoc acidum dulcificatum potionem efficit jucundam, ubi temperatum sit sufficienti aquæ quantitate, maxime vero si edulcoratum fuerit ope sacchari vel alicujus syrupi. Tam in hujus præscriptione, quam in illa acidi sulphurici simplicis, ubi nihil obstet edulcorationi, expedit maxime pro divitibus syrupum violarum adhibere loco sacchari vel alterius syrupi, cum hoc modo præter gratam edulcorationem etiam rubeus elegans medicinæ color obtineatur.

ACIDUM TARTAROSUM vulgo SAL ESSENTIALIS TARTARI. Vid. *Crell* & PH. BRE-

MENSIS. Loco tamen concharum præparatarum adhibebitur pura creta. Cæterum absolutæ necessitatis remedium non est.

ADEPS sive AXUNGIA PURIFICATA vid. APPAR. NOST.

ÆTHER sive NAPHTA NITRI. Vid. *Keupp*, *Westrumb*, *Sande* & *Hahnemann*, *Navier*, *Lassone Senior* & *Cornette*, *Hoffmann*, *Tuthen*.

ÆTHER MURIATICUM sive NAPHTA MURIATICA vid. *Crell* & *Schrader*. Ego vero observavi magis congruere ad usum quinque partes alcoholis; atque hunc ipsum Ætherem rectificari non secus ac alios ætheres cum sale tartari alcalino, vel cum magnesia calcinata. At potissimum pro divitibus esse debet usus tam hujus quam supradicti ætheris nitri.

ÆTHER SULPHURICUM s. NAPHTA VITRIOLI vid. APPAR. NOST. *Hagen* & *Professor Canefri* Genovensis.

ÆTHIOPS ANTIMONIALIS vid. PHARMACOPÆA AD USUM PAUPERUM MEDIOLANI anno 1793.

ÆTHIOPS MARTIALIS seu LIMATURA MARTIS PRÆPARATA vid. APPAR. NOST. ubi de LIMATURA MARTIS PRÆPARATA. Vid. *Fosse* ac potissimum *Vauquelin*.

ÆTHIOPS MINERALIS vid. APPAR. NOST. Hoc sulphuretum mercurii sive ejusmodi commixtio sulphuris, & mercurii vices agere potest aliarum omnium hujus generis commixtionum, quæ alias dicebantur cinnabares, scilicet vices cinnabaris vivæ, cinnabaris artefactæ, cinnabaris antimonii, quarum singulæ olim in usibus medicinæ nunc uno, nunc alio tempore magnis

laudibus differebantur, cum tamen reapse a se ipsis minime differant, nisi pro variis ingredientium, ex quibus una præ altera coalescit, proportionibus, pro ut major mercurii quantitas erat in cinnabari, quam in æthiope vel pro arctiori, vel minus arctâ eorum & intensa conjunctione, ut intimior erat in cinnabari, quam in æthiope.

Arctissima omnium mercurii cum sulphure conjunctio est ea, quam natura parit, cujus productum dicitur cinnabaris viva sive nativa. Ars quoque Chymici naturam imitatur efficitque eam conjunctionem nunc directe ac tum artificialis cinnabaris appellatur, nunc indirecte diciturque cinnabaris antimonii, quoniam ea obtinetur, dum altera chymica præparatio instituitur vulgo dicta butyrum Antimonii. Cæterum ea non differt a cinnabari artificiali. Utraque autem cinnabaris arte parata non videtur a cinnabari viva seu nativa differre nisi ratione intimioris, vel minus intimæ principiorum componentium conjunctionis, & ratione coloris minus emicantis, ac vivacis, quem præfert utraque præparatio artificialis, & qui facile pendet a grádu conjunctionis, principiorum constituentium, qui minor est artis subsidio quam opere naturæ. Cæterum magna ex parte elegans color, quam super alias cinnabares exibet cinnabaris viva, repeti posse videtur ex arsenici portione, quæ in cinnabari viva contineri deprehenditur. Quam quidem hypothesim confirmari videtur observatio habita a *Capellio*, qui testatur se deprehendisse, ubi in conficienda cinnabari artificiali octo unciis mercurii combusti cum sulphure qua-

tuor unciæ auripigmenti adjunguntur, & in vasis vitreis sublimentur, cinnabarim inde exortam elegantiorem colorem præferre, quam exibeat præparatio facta sine auripigmento.

Cum autem ex observationibus factis a *Baumeo*, a *Morveau*, aliisque, & a me ipso evinci posse videatur, mercurium in cinnabari viva reperiri in statu oxidi, hinc colligi quoque posse mihi videtur, magna probabilitate affirmari, ubi in præparanda cinnabari artificiali mercurio uteremur oxidato loco mercurii in statu metallico, præparationem magis esse accessuram ad qualitates, proprietatesque cinnabaris vivæ, sive primigeniæ.

Cum vero ob habitas observationes constet cinnabarim vivam continere quidpiam arsenici, concludere cogimur, ubi cinnabari in medicina uti quis velit (licet modo jam major pars medicorum tam prædictam, quam alias cinnabaris species oblivioni mandaverit) utendum esse cinnabari artificiali, ac dimittendam cinnabarim vivam usibus picturæ, aliisque, pro quibus opportunior cæteris est. His vero rationibus moti sunt medici recentiores adversus praxim vetustiorum ut familiarem usum cinnabarum derelinquerent, unde factum est, ut usum quoque pannaceæ cinnabrinæ desererent, quæ latiori quodam sensu consistere non videbatur nisi in mixtione sulphuris, atque mercurii. Rationes autem istæ eo demum potissimum referentur, quod deprehensum sit, cinnabares, ut & panaceam cinnabrinam, in humoribus corporis nostri non solvi. Quod cum sit, non video, quo jure medicorum judicio e medicina non exulent æ-

thiops mineralis, mercurius dulcis, antimonium crudum aliaque mineralia remedia ejusdem prorsus indolis cum prædictis quæ tamen mineralia etiam ætate nostra conspicimus a medicis etiam præstantibus præscribi magnáque fiducia commendari.

At licet major vel minor substantiarum solubilitas interdum possit suppeditare argumentum majoris vel minoris energiæ & actionis alicujus remedii, in ea tamen sum opinione, ut a corporis indissolubilitate semper ac certo colligi non debeat remedii inutilitas sive absoluta ipsius inefficacia. Constat enim non pauca esse remedia, quæ medicorum unanimi consensu activa sunt & efficacia, quæ tamen novimus nequaquam dissolvi non tam ope diversorum chymicorum menstruorum, sed nec actione quidem humorum nostrorum extra corpus humanum. Sic ex. c. cinnabaris, cui virtus antispasmodica, ut ajunt a *Stollio*, *Hoffmanno*, *Vepfero* aliisque tribuitur, quorum observationibus deprehensa in eo remedio videtur in corporis nostri œconomiam vera, & efficax operatio, attamen nullius utilitatis in medicina habita est a *Cartheussero*, a *Tralles*, a *Boerhavio*, aliisque, quod ipsi observaverint dictam cinnabarim chymicis omnibus dissolventibus vinci non posse, sed invicte resistere. At observationibus suis illustres medici, inter quos etiam potissimum *Lieutaud*, *Schultze*, *Blondey*, *Carminati* &c. cum deprehenderint, cinnabarim artificialem aliaque sulphureta mercurialia aptissima esse promovendæ salivæ, jure sibi colligere videntur hæc remedia a vasis lacteis absorberi, & in sanguinis

massam insinuari. Sane admodum difficile est & valde periculosum ab experimentis extra corpus humanum factis de vi, & actione remediorum, quæ se exserat, vel non exserat intra corpus, judicium ferre. Nam quæcumque in experimentis extra corpus faciendis diligentia adhibeatur, non nisi temere quis sibi persuaserit, se posse extra corpus omnibus iis viribus, ac circumstantiis motum & actionem imprimere, quæ locum habere possunt intra corpus hominis viventis, cujus ventriculus aliaque receptacula officinæ sunt maximæ activæ homini imperviæ, saltem quoad vires attinet, in iis intime adhærentes, & maxime effectrices earumque modum agendi, quas artis subsidio omnino imitari velle desperati consilii est exitusque impossibilis. Hinc sæpe a naturæ viribus effectus, atque phænomena oriri conspicimus, quæ humana mens nec satis intelligit, nec expectasset. Quare natura impervia quodam velo quasdam operationes suas homini abscondere solet, ut aciem fugiat perspicaciorum ingeniorum, eorumque ausus frangat, qui sæpe præsumunt philosophica acie secreto operantem quasi nudam intueri.

Cæterum dum hæc dico, nemo arbitretur me velle probare cinnabarum ad usus medicinæ necessitatem. Absum enim longissime ab hoc consilio, cum potius in contraria sim opinione. Eo tantum consilio hæc dicere volui, ut injurias repellerem contra rationem omnem recensitis remediis illatas. Id quod ex eo profluxisse puto, quod æstuantibus hominum animis chymiæ studio huic in medicinæ praxi rebusque propius ad eam attinentibus plus tributum sit, &

agere, ac judicare permissum, quam res postulet. Quare æquum est in hac temporum luce, qua chymia se liberavit ab antiquis illusionibus, maxima scientiarum utilitate, continere eam finibus suis & æquiori uti mensura in dimetienda vi corporum, & remediorum, ac dolendum vehementer est, quod dum magna pars celebrium chymicorum utilissimam scientiam a veterum erroribus, tenebrisque, quæ ipsam involverant, purgare studet, aliqui recentiorum inveniantur, qui subtilitate magis quam soliditate delectati, ingenio suo indulgentes nimium subtilia, ac metaphysica consectaria ab experimentis chymicis trahere nituntur, eaque per vim detorquere ad Physiologiam ac medicinæ praxim.

Huc me traxit cogitationum nexus. Ut ad propositum redeam, mihi concludi posse videtur, quum rationibus satis aptis careamus, ut actionem omnemque vim sulphuretis mercurialibus denegemus, hæc quidem spectari posse ceu prædita aliqua vi, sed eodem tempore Æthiopem mercurialem, præsertim igne paratum, vices agere posse cinnabarum. Quod vero attinet ad panaceam cinnabrinam celeb. *Jompson* nomine quoque insignitam *panaceæ mercurialis rubeæ, cinnabarinæ, & mercurii diaphoretici rubei*, ubi attentio convertatur in ejus præparationem, clare apparebit non sine ratione ad novum examen ejusmodi præparationem revocari posse; cum ipsa non consistat, prout hactenus spectari consuevit ac prout ipsam spectasse videtur etiam *Geoffroy* in quadam specie cinnabaris, aut sulphureti mercurii, sed coalescat juxta experimenta facta a Cl. *Porati* ex cinnabari artificiali &

mercurio dulci. Ea vero, quæ dicitur *panacea cinnabarina* magnam alias famam obtinuit apud medicos maxime celebres, ut propterea non raro ipsa præferetur cuicumque alteri mercuriali præparationi, ubi indicarentur alia mercurii præparata. Ejus præparatio chymicos plurimum occupavit; sed paucis contingit eam consequi iis proprietatibus, & caracteribus instructam, quibus ipsa æstimari solebat, præsertim quod pertinet ad elegantiam coloris, qui rubens, clarescens, sed vividissimus esse debebat. Uni Germaniæ sors ista contigit, a qua una propterea ea habebatur, maximo tamen pretio characteribus, & proprietatibus suis optime instructa.

Clar. *Silvestri* detexerat ad consequendam panaceam cinnabarinam Germaniæ parem adjungi oportere cinnabari artificiali flores salis ammoniaci. Sed cl. *Porati* opus illud perfecit, omnesque notiones exhibuit, quæ desiderari possunt circa principia ipsam constituentia, modosque suppeditavit aptissimos huic obtinendæ præparationi, quæ hactenus nobis fuerat ad instar mysterii. Idem evidenter ostendit eam constare mercurio dulci una scilicet hujus parte pro singulis octo partibus cinnabaris artificialis. Quo semel detecto plura novimus inde necessario fluentia. 1. eam agere non debere simpliciter ad instar cinnabaris, sed magis efficacem esse oportere. 2. Conciliari aliquatenus posse observationes de usu hujus remedii olim habitas summisque laudibus præ aliquibus aliis mercurialibus remediis celebratas. 3. rationem quoque patere, quæ parari facilius ac promtius directe queat remedium ejusmodi, terendo scilicet simul

in iis, quæ congruunt proportionibus, mercurium dulcem cum cinnabari artificiali, vel etiam cum æthiope mercuriali; qua ratione utilitas, quoque traheretur minuendi multo pretium hujus olim adeo celebris præparationis, eandemque breviorem, minusque fastidiosam reddendi.

AGARICUS CHIRURGORUM PRÆPARATUS vid. PH. BRUNSVIC. & *Plenk*.

ALCALI VEGETABILE s. SAL TARTARI ALCALINUM s. CARBONAS POTASSÆ. Vid. APP. NOST. & *Chaptal*.

ALCALI VOLATILE SICCUM s. CARBONAS AMMONIACÆ vid. APP. NOST. & PH. AUSTRO-CASTRENSIS, EDINBURG. & *Reuss* ubi de sale ammoniaco sicco.

ALCALI MINERALE s. SODA DEPURATA s. SAL SODÆ s. CARBONAS SODÆ vid. PH. AUST. PROVINC. EMEND. *Reuss. Lorgna. Vauquelin.* Vid. *Westrumb*, *Hahnemann*, & *Giobert*.

ALUMEN USTUM vid. APP. NOST.

ANTIMONIUM CRUDUM vid. APP. NOST.

** AQUA AERIS FIXI vid. PH. ROSSICA, sed utendum est aqua destillata loco aquæ fortis.

** AQUA AERIS FIXI MARTIALIS s. ACIDULA MARTIALIS vid. PH ROSSICA. Hæc aqua vices potest explere aquæ medicinalis SANCTI MAURITII.

** AQUA HEPATICA vid. *Kirvan* & APP. NOST.

** AQUA MARIS vid. *Lavoisier*.

** AQUA MEPHITICA ALCALINA. Remedium inventum a *Colborne* ac postea adhibitum a *Lowper*, *Bentley*, *Falconer*, *Ingenhous*,

Vid. auctores isti & PH. AUSTR. PROVINC. EMEND.

** AQUA SELTERANA vid. opusc. *Bergmann.*

** AQUA TETTUCCI vid. *Bicchieray.*

Hæ minerales medicinales aquæ in pluribus morbis maxime utiles, si rite ab idoneo & experto operatore paratæ fuerint & rite, ut opus est, administrentur, vel ipsis hujus indolis aquis medicinalibus, quas natura parat, equivalere optime possunt. Illud ab his aquis arte paratis commodum trahitur, ut minori dispendio acquirantur, quam quæ ex longinqua regione ob itineris sumtus advehuntur, & quod magis proficuum est, cum istæ arte recentius pro usu parentur, magis activæ & efficaces evadant.

Rursus earum, quas descripsimus, aquarum numerus satis vices explere potest tôt tamque multiplicium naturalium medicinalium aquarum, quæ tantopere celebrantur, quarum proinde usus non superesset nisi pro iis, qui cum prope fontes ipsarum degunt, eas facile & recentes sumere possunt. Cæterum si quis remotus ab istarum aquarum fôntibus quadam earum specie uti vellet, is easdem committere potest arte parandas non secus ac de aliis aquis dictum est, experto operatori, qui opus aggrediatur juxta principia indicata in operibus *Lorgna*, *Mandruzzati*, *Pasta* &c.

AQUA CALCIS vid. APPAR. NOST.

AQUÆ DESTILLATÆ AROMATICÆ quarum præcipuæ sunt AQUA FLORUM AURANTIORUM = CHAMOMILLÆ = LAVANDULÆ = SAMBUCI = ROSARUM = HERBÆ HYSSOPI = MELLISSÆ SIMPLEX, SPIRITUOSA, & COM-

POSITA VULGO CARMELITARUM = MENTHÆ CRISPÆ & PIPERITIDIS = MATRICARIÆ = PETROSELINI = CINNAMOMI SIMPLEX & SPIRITUOSA = LAURO CERASI = FOENICULI = BACCARUM JUNIPERI = TOTIUS CITRI = VULNERARIA SPIRITUOSA. Vid. PH. SVEC., ROSSICA, EDINBURG., LONDIN., BREMEN., APPAR. NOST., APP. MEDICAMIN. NOSOCOM. *Ticin.* &c.

Ad præparationem aquæ rosarum submittantur rosæ alicui præviæ fermentationi. Quomodo vero obtineatur & servetur AQUA FLORUM AURANTII; videri etiam meretur *Vauquelin* & circa aquam LAURO-CERASI vid. *Doeltz.*

AQUA DESTILLATA COMMUNIS vid. APPAR. NOST.

** AQUA VULNERARIA *Theden.* Vid. APP. NOST.

AQUA PHAGEDÆNICA vid. APP. NOST. ubi de LIQUORE MERCURIALI.

** AQUA VEGETO-MINERALIS vid. APP. NOST. & ACETUM SATURNI.

BALSAMUM ARCEI s. UNGUENTUM ELEMI vid. *Bernstein* sed loco SEBI CERVI adhibe SEBUM HIRCI.

** BALSAMUM SATURNI s. UNGUENTUM NUTRITUM vid. APP. NOST. ubi de ACETO SATURNI & PH. AUSTRIACO-PROVINC. EMEND. ubi de UNGUENTO NUTRITO.

BUTYRUM ANTIMONII vid. APPAR. MEDICAMIN. ad USUM NOSOC. TICIN. *Dollfus*, *Crell* & *Porati.*

* BUTYRUM CACAO vid. PH. BREMENS. *Sande* & *Hahnemann.* In curatione divitum prod-

est quoque in conficiendis diversis linimentis & unguentis hoc butyrum impendere loco sebi ovilis.

BUTYRUM JUNIPERI vid. PH. AUST. PROVINC. EMEND. ubi de UNGUENTO JUNIPERI.

* CANDELÆ FUMALES. Vid. *Herold.*

CEREOLI EXPLORATORII vid. *Bells & Piderit.*

CEREOLI SATURNINI vid. DISPENSAT. FULDENS.

CLARETA seu ROSOLIA VARIA quæ sunt præcipue ANISORUM = CINNAMOMI = MENTHÆ PIPERITIDIS = JUNIPERI = CARYOPHYLLORUM vid. *Spielmann*, *Reuss*, & *Landriani.*

* COLCOTAR VITRIOLI vid. PH. SVEC.

CONSERVA JUNIPERI vid. PROSPECTUS PHARMACEUT. MEDIOLANI 1739.

CONSERVA ROSARUM RUBRARUM. Vid. *Piderit.*

CONFECTIO CINÆ seu SANTONICI SEMINIS vid. PH. HERBIPOLITAN.

SANTONICUM SEMEN, MERCURIUS DULCIS, ANTIMONIUM & alia remedia omnium optima morsulorum forma præscribuntur. Pulverem enim recensitorum remediorum libenter non sumunt ægroti, maxime infantes, qui tamen facile decipiuntur sub hac forma, ut sapore dulci illecti assumant præstantissimum medicamentum.

CORNU CERVI USTUM vid. APP. NOST. ubi de SALE VOLATILI C. C.

CUPRUM AMMONIACALE vid. APP NOST.

** ELÆOSACCHARA, quæ præsertim sunt

ANISI = CITRI = CINNAMOMI = AURANTII = CARYOPHYLLI = MENTHÆ PIPERITIDIS = vid. APP. NOST. *Piderit*, *Herold*, *Gmelin*.

* ELATERIUM. Vid. PH. SVECICA.

** ELECTUARIUM ANODINUM INFANTUM loco REQUIEI *Nicolai*. Vid. PH. BRUNSVIC. *Spielmann*.

ELECTUARIUM DIASCORDIUM. Vid. APPAR. MEDICAM. AD USUM NOSOCOMII *Ticin.*, sed addi potest aliqua portio terræ catechu & herbæ majoranæ, utraque redacta in pulverem.

ELECTUARIUM LENITIVUM vid. *Piderit*.

ELECTUARIUM PRO PECORIBUS, s. THERIACA DIATESSARON vid. APP. NOST.

ELECTUARIUM THERIACA vid. APPAR. MEDIC. AD USUM NOSOC. TICIN.

ELIXIR ALOES seu PROPRIETATIS vid. PH. EDINBURG.

ELIXIR STOMACHICUM TEMPERATUM *Hoffmanni* CORRECTUM vid. APP. NOSTER. Sed præscriptæ formulæ addantur unciæ sex tincturæ chinæ flavæ spirituosæ. Efficacius adhuc efficietur, ubi adjungantur tres unciæ tincturæ cascarillæ spirituosæ. Conflabitur quoque excellens simulque simplex elixir roborans simplici mixtione duarum partium tincturæ chinæ flavæ & únius partis tincturæ cascarillæ; ad gratiam vero ei conciliandam pro aliquorum gustu, nisi quidpiam obstet, prodest edulcoratio cum saccharo.

ELIXIR VITRIOLI ACIDUM AROMATICUM vid. PH. EDINBURG.

EMPLASTRUM ANGLICANUM seu GLUTINOSUM vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND. Emplastrum pro divitibus adhibendum loco emplastri adhærentis.

EMPLASTRUM ADHÆRENS seu GLUTINOSUM vid. APP. NOST.

EMPASTRUM ALBUM COCTUM seu DE CERUSSA vid. PH. AUSTR. - PROV. EMEND.

EMPLASTRUM COMMUNE seu DYACHILON SIMPLEX vid. APP. NOST.

EMPLASTRUM DE CICUTA CUM GUMMI-AMMONIACO vid. APP. MEDIC. ad USUM NOSOC. TICIN.

EMPLASTRUM GUMMOSUM seu DYACHILON CUM GUMMI vid. APP. NOST.

EMPASTRUM EMOLLIENS seu LAXANS loco emplastri ALTHÆÆ & SPERMATIS CETI. Sumuntur ceræ albæ binæ unciæ, ol. olivarum unciæ quinque & sebi ovilis uncia una, & fiat l. a. Emplastrum.

EMPLASTRUM MERCURIALE loco de RANIS CUM MERCURIO. Vid. APP. MEDIC. ad USUM NOSOC. TICIN.

EMPLASTRUM ROBORANS vid. PH. AUST. PROV. EMEND. emplastrum AROMATICUM.

EMPLASTRUM VESICATORIUM vid. APP. NOST. & *Fothergill.*

EXTRACTA magis necessaria hæc sunt: EXTRACTUM ABSYNTHII = ALOE AQUOSUM = CARDUI BENEDICTI = CICHOREI & TARAXACI, utriusque ex tota planta = CASCARILLÆ, & CHINÆ AQUOSUM & VINOSUM = ACONITI = CICUTÆ = NASTURTII AQUATICI = FUMARIÆ = GENTIANÆ = MYRRHÆ

& SQUILLÆ AQUOSUM = VALERIANÆ SYLVESTRIS = MARTIS CUM SUCCO POMORUM = TORMENTILLÆ. Vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND. BREMEN. DISPENSATOR. UNIVERS. *Reuss.* ac præterea pro sequentibus extractis videantur quoad EXTRACTUM OPII AQUOSUM *Lassone parens* & *filius*, quoad EXTRACTUM HYOSCIAMI *Stoerck*, *Fothergillius*, *Greding* & *Chioni*; & quoad EXTRACTUM HIPPOCASTANI *Bucholz.* Prodesse possunt interdum etiam extracta sequentia de quibus legi possunt, opera quorum antea memini, quæ tamen non est absolute necessarium in officinis servari. Hæc autem sunt EXTRACTUM DULCAMARÆ = GRATIOLÆ = TRIFOLII FIBRINI = LACTUCÆ = HELLEBORI NIGRI = FLAMMULÆ JOVIS = SAPONARIÆ.

Ad parandum EXTRACTUM præsertim CHINÆ maxime AQUOSUM, cum in ejus præparatione ob rationes allatas in opusculo de china lutea cavenda sit, quoad fieri potest actio gas oxygeni ideoque aëris atmosphaerici, utile erit saltem sub initium in vase clauso evaporationem peragere, idest liquorem concentrare; ut ajunt, ope destillationis.

FEL TAURI INSPISSATUM vid. PH. BREMENS. Dum tamen evaporatio conficitur, massa continuo intus misceatur.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES vid. *Schiller*, *Pipenbring* & APP. NOST.

FLORES SULPHURIS vid. PH. AUSTRIAC. PROV. EMEND. & APP. NOST. ubi de SULPHURE.

FLORES ZINCI vid. APP. NOST.

** GAS ACIDUM CARBONICUM seu AER FIXUS. Vid. *Bergmann*, *Priestley*, *Brugnatelli*, *Beddoes*, *C. Girtanner*, & maxime erudita dissertatio *Professoris Breræ*, quæ titulum habet DELLE ARIE MEFITICHE INSPIRATE NELLA TISI POLMONALE.

** GAS ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM & ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM vid. *Scheele*. ENCYCLOPÉDIE METHODIQUE. *Berthollet*. *Watt*. *Fourcroy*. *Reboul*.

Fourcroy evidenter ostendit maximam hujus gas utilitatem, cujus experimentis atque judicio mota est Conventio Nationalis Gallorum ad ejus usum præscribendum etiam in castrensibus Nosocomiis decreto edito die 14. mensis Pluv. anno secundo Reipublicæ, quod confirmatum fuit die septima mensis Vent. ab executivo Concilio provisorio. Ipsemet quoque valde proficuum esse expertus sum ad expurganda stabula in epidemicis animalium morbis. *Giobert* autem sibi conjicere ex quadam effectuum analogia visus est idem acidum esse posse quasi remedium, ut ajunt, specificum ad morbum equorum curandum, qui communi vocabulo dicitur MORVA, cui nullo hactenus remedio succurri potuit. At mihi in hac re huc usque defuit occasio experimentum hoc faciendi. Illud optandum est, ut expectationi respondeat.

Nuperrime quoque demonstrata est non exigua ad medicos usus utilitas ejusdem acidi muriatici oxygenati. Idemque propositum fuit ut efficax subsidium ad arcendum periculum, fastidiumque effluviorum cadaverum in amphithea-

tris anatomicis. Ex quibus utilitatibus clare colligitur hujusmodi gas, ejusque propterea acidum in hoc apparatu medicaminum jure optimo locum sibi vindicasse.

** GAS OXYGENUM s. AER DEPHLOGISTICATUS s. PURUS, s. VITALIS &c. vid. *I. H. Mensching*, *Hermbstaedt*, *Witry*, *Ingenhousz*, *Fontana*, *Lavoisier*, *de la Place*, *Hufeland*, *Chaptal*, *Gallini*, *Brera* aliique plures. Tam isti auctores, quam alii plures cum vetustiores tum recentiores satis perspicue demonstrarunt hujus fluidi permanenter elastici utilitatem in functionibus animalibus ejusdemque vim & efficaciam singularem in curatione plurium morborum ubi rite administratum fuerit, ut propterea nullus chymicorum & medicorum nunc ignoret hoc maximi momenti esse, dignumque idcirco quod in hoc prospectu locum haberet. Videat. opusculum meum cui titulus: Osservazioni sull' Ossigeno ecc.

GELATINA LIQUIRITIÆ vulgo TALEOLÆ CATARRHALES vid. PH. BREMENSIS.

** HAUSTUS SALINUS vid. APP. NOST. Ad usum divitum plurimum expediet in ejus præparatione uti spiritu mindereri parato cum succo limoniorum loco aceti; tum etiam syrupo acetositatis citri aut oximelle parato cum melle hyspanico loco oximellis communis; ac demum pro infusis aquam destillatam impendere, ut ex. c. esset aqua florum sambuci, chamomillæ, herbæ hyssopi, menthæ &c.

HEPAR ANTIMONII vid. PH. BREMENSIS ubi de ANTIMONIO ALCALISATO. *Sande* & *Hahnemann*.

HERAR SULPHURIS. vid. APPAR. NOST.

KERMES MINERALIS vid. APPAR. MEDIC. ad USUM NOSOC. TICINENSIS. & *Pipenbring.* Vid. etiam *Sangiorgi* & *Corati.*

LAPIS CAUSTICUS. vid APPAR. NOST. & *Berthollet.*

LAPIS INFERNALIS vid. APPAR. NOST.

LAUDANUM LIQUIDUM *S.* vid. *Herold.*

** LINIMENTUM VOLATILE. vid. APPAR. NOST. Pro divitibus melius erit OLEUM AMYGDALARUM RECENS adhibere pro OLEO OLIVARUM

LIQUOR ANODINUS MINERALIS *Hoffmanni*, vid. APPAR NOST.

LIQUOR ANODINUS AQUOSUS vid. PH. BREMENS. ubi de NAPHTA VITRIOLI DILUTA.

LIQUOR C. C. SUCCINATUS vid. *Pipenbring* in parte secunda & tertia & appar. nost.

LIQUOR PROBATORIUS. Hujus loco subrogetur AQUA HEPATICA recenter parata.

LIXIVIUM CAUSTICUM ALCALI MINERALIS vid. PH. BREM. & AP. NOSTR.

LIXIVIUM CAUSTICUM ALCALI VEGETABILIS. Vid. APP. NOS.

* MAGISTERIUM BISMUTHI. vid. PH. BREM. ubi de CALCE BISMUTHI, *Scopoli*, *Fourcroy*, *Odier* & *la Roche*. Videat. idem opus. de oxigeno nuper cit.

MAGNESIA ALBA AEREATA vid. APPAR. NOST.

MAGNESIA CALCINATA. vid. APP. NOST.

MEL DESPUMATUM vid. APPAR. NOST.

MEL ROSATUM vid. APPARAT. MEDICAM. AD US. NOSOC. TICIN.

MERCURIUS CINEREUS s. SOLUBILIS MOSCATI. Vid. APPARAT. NOST. & *Porati.*

- - - DULCIS vid. APPAR. NOST. & *Haggen.*

- - - * PHOSPHORATUS vid. PHARM. AUSTR. PROV. Emend.

- - - PRÆCIPITATUS PER SE. vid. PH. HERBIPOLITAN. Vid. Chaptal, & quidquid huc pertinet. Clar. Professor *Brusati* apparatum invenit, cujus ope hanc præparationem conficit facilius, promtius, & abundantius, ideoque magis congrua & œconomica methodo. Is adhibet magnam phialam vitream cum fundo plano colloque longissimo, & adeo lato, ut alter tubus ingredi possit. In collum phialæ alium tubum insinuat, sic tamen, ut medio pollice a mercurio distet. Hic tubus curvaturam efformat in vertice colli phialæ, ramusque externus deorsum protenditur plus duplo colli phialæ, ibique intruditur purus aër, & quoad fieri possit, onustior gas oxigeno, cujusmodi esset aër viridarii. Aëris externi columna multo major esse debet columna aëris interni. Hac ratione aër, qui ad mercurium oxidum faciendum influxerat, continuo renovatur, exitque per tubum colli phialæ aër impar ejusmodi operationi faciendæ; scilicet gas azotum.

MERCURIUS ALBUS vid. APPAR. NOST.

- - - RUBER vid. PHARM. EDINBURG. *Piderit. Bonz. Biederman. Sande. Hahnemann & Chaptal.*

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS vid. APP. NOST. Magnam ego quantitatem mercurii sublimati corrosivi via, ut dicitur, humida obtinui vel ipso tempore, quo paravi mercurium præcipitatum album decomponendo solutionem nitrati mercurii ope acidi muriatici, eamque quantitatem obtinui per evaporationem, sive vapores exhalando liquoris, a quo separavi mercurium præcipitatum album. Cum ego illis assentiar, qui in mercurio sublimato corrosivo definiendo opinantur ipsum coalescere ex acido muriatico oxigenato, & oxido mercurii, in eaque sim opinione, ut credam discrimina, quæ sublimatus corrosivus exhibet cum mercurio præcipitato albo, & mercurio dulci comparatus, non consistere solum in majori acidi copia, quam mercurius sublimatus corrosivus complectitur, sed etiam in eo, quod ille acidum oxigenatum contineat, his notionibus inhærens facile explicari posse arbitror, qua ratione sublimatus corrosivus recensita methodo obtineatur, scilicet eo tempore, quo mercurius præcipitatus albus acquiritur. Quæ quidem explicatio ita se habet.

Nitratum legibus affinitatis decomponitur ope acidi muriatici. Interea etiam acidum nitrici, quod explicatur, legibus affinitatis pariter obediens, saltem ex parte decomponitur ceditque portioni acidi muriatici partem oxygeni sui, acidumque muriaticum oxigenatum reddit. Quæ quidem pars acidi muriatici oxigenati portionem oxidi mercurii in statum sublimati corrosivi convertit, dum interim residua pars acidi muriatici, quæ uti prior oxygenata non fuerat, miscetur cum residuo oxidi mercurii, gignitque mercu-

rium præcipitatum album. Cum mercurius sublimatus corrosivus solubilis sit, qualis non est mercurius præcipitatus albus, prior in liquorem solvitur, quem continet seposito albo præcipitato; ex quo liquore deinceps elicitur per exhalationem vaporum mercurius sublimatus corrosivus. Ex hac theoria etiam nullo negotio intelligitur, cur se explicet quantitas gas nitrosi in præparatione mercurii præcipitati albi.

MERCURIUS TARTARISATUS vid. *Teophil. Boeche* DISSERTATIO MEDICA DE MERCURIO TARTARISATO LIQUIDO. Hæc mercurialis præparatio, ut deprehendi, vices etiam agere potest SALIS ACETOSI, MERCURIALIS, id est ACETITI MERCURII tantopere a *Keysero* celebrati, & ante ipsum centum jam abhinc & amplius annis a *Bernardo Penato* in cura luis veneræ adhibiti. Quod vero spectat ad salem acetosum mercurialem expertus sum eum speciatim interne præscriptum, etiam in exigua dosi incommoda parere interdum iis similia, quæ ab usu mercurii sublimati corrosivi prodire non raro observantur, eademque fere ratione salem hunc operari videri, qua agere solet sublimatus corrosivus. Quare cum sal iste præscribitur, expedit eum adhibere commixtum alicui substantiæ mucosæ, ut vis ipsius maxime corrosiva obtundatur. Quæ quidem cautio attentionem non fugit cel. *Keyseri*; cum in formula pilularum suarum, quarum præcipua & essentialis pars ab hoc sale constituitur, prædicta commixtio adhibeatur.

MERCURIUS VIVUS DEPURATUS aliæque præparationes, quæ ex ipso fiunt, vid. APPAR. NOST.

** MUCILAGO GUMMI ARABICI vid. APPAR. NOST.

- - - ** RADICIS ALTHÆÆ vid. PH. BREM.

* MURIAS BARYTIS vid. doct. *I. A. Schmidt. Hufeland. Bucholz.* alii plures. Remedium primum adhibitum fuit a medicis anglis; postea in Germania ejus fama percrebuit, ac deinde in Italia, de quo medicæ observationes in lucem edi cœperunt anno 1791 a *Grawford*, *Hamilthon*, *Ferrier*, *Bell*, *Hufeland*, *Goerling*, *Bucholz*, doct. *I. A. Schmidt*, *Carminati* aliisque circa usum ipsius in morbis scrophulosis, in lue venerea, in morbis ex vermibus provenientibus, in diversis hydropis speciebus &c. Fortasse hujus remedii efficacia plus æquo celebrata fuit. Sed hanc fortunam esse constat magna ex parte cujuslibet remedii, quod de novo proponitur ad medicos usus; id quod tamen, ubi propositum medicamen solita utilitate non careat, facilem veniam meretur, cum id demum ad remedii introductionem viam latiorem sternat, ac ita ad publicam utilitatem.

Coactum ob aliquas circumstantias ad finem hujus operis properare valde me piget, ea silentio præterire, quæ in quadam epistola mihi conscripsit *Giobert* anno 1793 de hoc remedii genere, in qua de pluribus curationibus exitu felici hoc remedio peractis in Pedemontii provincia a medicis *Betrone*, *Cappa*, *Averardo*, *Buniva* &c. me monet in variis morbis, præsertim scrophulosis, in obstructionibus, in morbis hydropis, in ophtalmiis &c.; sed monitum præterire non possum, quod ad me dedit, & quod ad hujus

remedii honorem conducere potest, scilicet aliquando expectatum effectum fefellisse, sed experimento facto se deprehendisse ob imperitiam loco muriatis barytis nunc adhibitum fuisse muriatem magnesiæ, nunc muriatem calcis. Quo factum est, ut effectu suo hoc remedium caruerit, vel saltem dubitari possit, an ob efficaciæ inertiam, an vero ob præparationis errorem id contigerit. De hac præparatione legi meretur dissertatio *Van-Mons*, quæ in lucem prodiit an. 1797 Postquam plures medici ea præparatione ad experimenta facienda usi fuerint, quidam eorum non tantum litem moverunt de ipsius in medicina efficacia, sed vocem etiam extulerunt ad deterrendum ab ejus usu; tamquam a remedio non solum exitus incerti, ac dubii, sed etiam perniciosi. Diu arsit controversia, ac divisis medicorum sententiis de noxia vel salubri hujus remedii natura, anceps judicium fuit. Sed cl. *Hoffman* demum, *Bucholz* aliique chymici accuratis experimentis innixi litem composuisse videbantur, comprobantes interdum hoc remedii genus nocere quidem posse, sed id non contingere ob nativam indolem remedii, sed ob causas extraneas, ob arsenicum scilicet, quod aliquando in eo contineri potest ex baryte, ejusque sulphato proveniens, quo non raro commixtum invenitur. Res quiescere hoc temperamento videbatur. Sed nuper. cl *Pelletier* observationibus nixus *Husard* & *Birov* factis potissimum in equorum corporibus denuo demonstrat, maxime noxium esse usum non tantum carbonatis barytis, quantum ipsius MURIATIS BARYTIS. Accedit & *Alison* affirmans adhibitum in ulceribus, ac

strumis non solum omni caruisse effectu, sed deprehensum quoque noxium fuisse seu causam nausearum, & colicorum dolorum.

Si in hac controversia judicium ingenue & sine partium studio ego proferre deberem, observationibus tantum insistens, quas ego habere potui, dicere congeret ab usu muriatis barytis, quod ipse paraveram, nihil unquam mali aut gravis incommodi ortum me deprehendisse. Adhuc igitur stantibus hisce recentioribus dissidiis iterum in dubium vocari potest, an carbonas & murias barytis complectantur aliquam portionem arsenici. Quod vero pertinet ad eximiam ipsius vim, & efficaciam, quam nonnulli eidem tribuunt, judicium certum proferre non audeo, nec pondus addere huic opinioni. Hæc meminisse tantum juvat, quæ monet cl. *Giobert*, ac ipsi supra monuimus, agi de præparatione, quae, ut accurate, & perfecte fiat, maximam in chymiæ studio peritiam & praxim experimentorum postulat, quam propterea cujusvis humeri ferre non possunt, cum ea non sit facilis, nec simplicis & expediti laboris.

** MURIAS CALCIS vid. *Chambon* & *Fourcroy*. Trahitur ex residuo destillationis SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICI. Clar. *Lorrius* asserit, se præscripsisse muriatem calcis in ulceribus & strumis exitu longe feliciori, quam parere soleat murias barytis.

* MURIAS MAGNESIÆ, *Bergmann* & *Fourcroy*.

* MURIAS POTASSÆ OXYGENATUS, vid. ELEMENTA CHYMIÆ *Jacquin junior*. Vid. dis-

sertatio mea de oxygeno, tum *Swediaur*, *Rollo*, *Cruischansk* &c.

NITRUM DEPURATUM, vid. APPAR. NOST. & PH. FULDENS.

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM expressum. vid. APPARAT. MEDICAM. AD USUM NOSOC. TICIN. & *Reuss*.

OLEUM ANIMALE DIPPELLII. vid. APPAR. NOST.

OLEUM C. C. vid. APPAR. NOST.

OLEA ESSENTIALIA. Potissimum sunt ANISORUM = AURANTIORUM = CITRI = FOENICULI = JUNIPERI = MENTHÆ CRISPÆ & PIPERITIDIS; cætera, quæ sequuntur, maxime quinque priora pro divitibus præsertim reservantur: scilicet OLEUM ROSARUM = CINNAMOMI = CARIOPHYLLORUM = ABSYNTHII = CHAMOMYLLÆ = LAVENDULÆ. vid. PH. DANICA, SUECICA, HERBIPOLIT. *Piderit. Herold.* APPARAT. NOST. in prima parte, *Biedermann*, *Sande & Hahnemann*, *Bindheim*, *de Machy*, *Pipenbring*; de OLEO PIPERITIDIS videri potest etiam *Peletier*, & quoad OLEUM ROSARUM *Polier*.

OLEUM FLORUM CHAMOMILLÆ PER INFUSIONEM sive COCTUM vid. APPAR. NOST.

OLEUM HYPERICI COCTUM vid. PH. SUECICA.

OLEUM LAURINUM vid. DISPENSATOR. FULDENSE, PH. AUSTR. PROVINC. EMEND. & APPAR. NOST.

OLEUM NUCIS MOSCHATÆ EXPRESSUM. Vid. *Reuss*, *Sande & Hahnemann*.

OLEUM SEMINUM HYOSCIAMI. Extrahitur eo modo quo OLEUM EX SEMINIBUS LINI.

OLEUM SEMINUM LINI, vid. APP. NOST. & DISPENSAT FULDENS.

OLEUM SEMINUM RICINI, vid. *Murray* & APP. MEDICAM. NOSOC. TICIN.

OLEUM SUCCINI, vid. APPAR. MEDIC. AD USUM NOS. TICIN.

OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM. Huc revocandum ad præparationem & conservationem hujus olei, quidquid diximus pro conficiendo & servando OLEO ANIMALI DIPPELLII.

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM, sic improprie dictum, vid. PH LONDINENS.

OLEUM TEREBINTHINÆ EMPYREUMATICUM & ÆTHEREUM, vid APP. NOST.

OXIMEL ÆRUGINIS vulgo UNGUENTUM ÆGYPTIACUM vid. APP. NOST. & NOSOC. TICIN.

OXIMEL COLCHICUM vid. PH. ROSSICA. Pro divitibus prodest illud parare cum melle Hispanico; idem dicendum de oximelle simplici & scillitico.

OXIMEL SCILLITICUM, vid. APP. NOST. Pro infantibus expedit hoc oximel, quotiescumque indicatæ fuerint aliæ squillæ præparationes; cum oximel scilliticum tutius adhiberi possit præ aliis scilliticis præparationibus.

OXIMEL SIMPLEX, vid. APP. NOST.

** PASTA de ALTHÆA, vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND.

** PASTA EPISPASTICA seu SINAPISMUS, vid. APP. NOST.

PILULÆ. In ea sum opinione, ut credam

satis esse in officinis servari has duas pilularum massas, de quibus infra (licet & istarum conservatio absolutæ necessitatis non sit), generatim vero expedire cæteras ex tempore parari, cum opus est. Egi de hac re in monitis apparatus medicaminum.

PILULÆ de STYRACE vid. APP. MEDICAM. ad USUM NOSOC. CIV. MEDIOLANENS.

PILULÆ ALOETICÆ, vid. *Piderit* ubi de pilulis POLYCHRESTIS, sed pro variis extractis supplet solum extractum gentianæ, vel aliud simile.

* PLUMBUM USTUM. vid. *Piderit.*

PHOSPHAS *Sodæ.*

Sal neutrum est, quod decem circiter abhinc annis *Pearson* medicinæ applicuit, cujus usus per universam Angliam præfertur omnibus aliis salinis purgantibus, idque variis de causis, quarum præcipuæ sunt; 1. quia insipidum fere est, et exiguus sapor, quem redolet gratus est, ut propterea vel ipsi infantes illud sine difficultate suscipiant; 2. quia remedium purgans est, quin nauseam aliasque molestias pariat, quæ manare solent ex aliis purgantibus remediis; 3. denique quia dosis sex drachmarum ad decem, quæ jusculo solvantur, sufficiens dosis est etiam pro adultis, gratamque potionem constituit. Cæterum remedium est pro divitibus. Vid. GAZETTE SALUTAIRE. DIARIUM MEDICUM LONDINENSE. PH. AUSTR. PROV. EMEND. *Pipenbring.*

** PULPA CASSIÆ. Vid. APP. MEDIC. AD USUM NOSOC. TICIN.

PULPA PRUNORUM vid. APPAR. NOST.

PULPA TAMARINDI vid. APPAR. MEDIC. AD USUM NOSOC TICIN. & APP NOST. ubi de PULPA PRUNORUM, DISPENSATOR. FULDENS.

** PULPA TAMARINDI ARTIFICIALIS. Vid. *Vauquelin*.

Præparatum hoc maxime in curatione d vitum præferri meretur exotico tamarindo tum quia nullam affert nauseam nullamque mol stiam sumentibus, sed potius jucundum est, faclisque sumptionis vel ipsis ægrotis, qui medicinas fastidiunt; tum quia eam affert utilitatem, ut nihil contineat substantiæ inertis & inoperosæ sive ut ajunt, parenchymatosæ, quemadmodum continet tamarindus exoticus; arcetur præterea periculum, ne tamarindus adhibeatur aëre corruptus, cujusmodi non raro emitur in commercio. Accedit demum in aliquibus casibus magis proficuam esse posse pulpam tamarindorum artificialium quam naturalium, ut revera ipsemet non semel observavi. Recensitam præparationem tamarindi artificialis ipse confeci vestigiis insistens analysis hujus exotici fructus, quam ediderat Cl. *Vauquelin* & quæ invenitur in chymiæ annalibus Parisiensibus Tom. VI. Quod ut obtinerem, nihil aliud facere studui, quam ut principia, quibus juxta analysim factam a *Vauquelin* tamarindus coalescere creditur, invicem commiscerem retinens proportiones ab eodem auctore indicatas, & abstinens ab uniendis mixturæ prædictæ principiis in tamarindo naturali exotico comprehensis, & quæ intelligere quisque facile potest, inertia esse & inutilia, immo stomacho superfluum pondus ingerentia; nec sine

probabilitate interdum noxia; quibus propterea cum careat tamarindus artificialis, hic utilior, & præstantior in multis circumstantiis evadit quam naturalis.

PULVIS ALGAROTTI vid. APP. NOST.

PULVIS ALTERANS *Plumeri* vid. APPAR. NOST.

PULVIS DENTIFRICIUS ALBUS & RUBER vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND. Omissis tamen lapidibus cancrorum & cremore tartari & istorum loco aucta dosi Cornu Cervi.

PULVIS DIAPHORETICUS *Dowerii*. Vid. APP. NOST. & APP. MEDICAM. ad USUM NOSOC. TICIN.

** PULVIS STRUMALIS vid. APP. MEDIC. ad USUM NOSOC. MEDIOLAN.

** PULVIS TUNCHINENSIS. Vid. *Piderit.*

RESINA JALAPPÆ vid. DISPENSAT. FULDENS. *Herold.*

ROOB EBULI ut ROOB SAMBUCI.

- - - JUNIPERI vid. PH. BREMENS.

- - - SAMBUCI vid. APP. NOST.

* ROTULÆ MENTHÆ PIPERITIDIS. Vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND.

SACCHARUM HORDEI. Vid. PH. BREM.

SACCHARUM s. SAL SATURNI. Vid. PH. SVECICA EDIT. NOVA & *Keupp.*

* SAL ACETOSELLÆ, vid. DISPENSAT. FULDENS. *Reuss. Herold. Morveau* putat valde oportunum esse hujus usum loco cremoris tartari spectata majoris illius solubilitate · ego autem observo ejus usum esse præterea multo gratiorem.

SAL AMMONIACUM DEPURATUM. Vid. APP. NOST.

SAL C. C. volatile vid. APPAR. NOST. & *Porati*.

SAL MIRABILE *Glauberi*. Pro divitibus loco salis amari cathartici. Vid. *Piderit*. *Bindheim*. PH. WIRTENB. & *Green*.

* SAL SEIGNETTI. Vid. *Piderit*. *Scheele*. *Westrumb*. *Bindheim*. *Sande*. *Hahnemann*. *Schiller*.

SAPO ACIDUS. Vid. Carminati, apparat. medicum. Nosocom. Ticin. meaque dissertatio de oxygeno.

Sapo sic dictus acidus facile rancidus effici potest, præsertim ubi rite non protegatur ab aëris contactu. Ut ipse ad pristinam suam puritatem restituatur, satis est saponem acidum factum rancidum in spiritu vini dissolvere, ac postea solutionem diluere aqua simplici, ac distillata. Id enim cum fit, sapo præcipitatur, ac separatur a spiritu vini purior, atque candidior, quam antea fuerit.

* SAPO ANTIMONIALIS. Vid. PH. AUSTR. PROVINC. EMEND.

SAPO ALBUS OFFICINALIS. Vid. *Reuss*. DISPENSATOR. UNIVERS. APPAR. NOST.

SCILLÆ EXSICCATIO vid. APPAR. NOST.

SEBUM OVILE DEPURATUM vid. APPAR. NOST. ubi de AXUNGIA PURIFICATA.

SPIRITUS COCHLEARIÆ vid. DISPENSAT. FULDENS.

SPIRITUS C. C. vid. APPAR. NOST.

SPIRITUS MINDERERI vid. PH. BREMEN. & APPAR. NOST., tum Eschenbach. specimen de Ammoniaca. In curatione divitum saepius

prodesse potest usus aceti destillati loco communis, & interdum pro delicatioribus personis usus prodit succi limoniorum loco aceti, ut jam dictum est ubi de Haustu salino.

SPIRITUS NITRI DULCIS vid. *Hagen. Keupp.*

SPIRITUS SALIS AMMONIACI AEREATI vid. APPAR. NOST.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CAUSTICUS seu FLUOR vid. PHARM. AUSTRIACO-PROVINC. EMEND. APPAR. NOST. *Saluzzo. Vauquelin.*

SPIRITUS SALIS COMMUNIS DULCIS vid. *Westrumb*; oportet tamen ipsum rectificare cum sale tartari alcalino.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS vid. APP. NOST.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS, RECTIFICATISSIMUS & SIMPLEX vid. APP. NOST. & *Silvestri.*

SPONGIA PRÆPARATA vid. APP. NOST. & PH. AUSTRIACO - CASTREN.

SPONGIA USTA vid. PH. BREMEN.

STANNI PRÆPARATIO seu PULVERISATIO vid. DISPENSAT. FULDENS.; sed loco LAPIDIS CANCRORUM adhibetur CORNU CERVI USTUM.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII vid. appar. nost.

SYRUPUS ABSYNTHII vid. PH. BRUNSVIC.

SYRUPUS ACETI vid. APPAR. MEDICAM. NOSOC. TICIN.

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI. Hic pro divitibus præferri potest SYRUPO ACETI & passim OXIMELLI SIMPLICI vid. PH. AUSTR.

PROVINC EMEND. Hi omnes eodem modo parantur SYRUPUS nempe BERBERORUM, RIBES, RUBI IDÆI, SPINÆ CERVINÆ, seu RHAMNI CATHARTICI, &c.

SYRUPUS ALTHÆÆ vid. PH. supradict.

SYRUPUS CICHOREI CUM RHEO. Vid. APPAR. NOST.

SYRUPUS CINNAMOMI. Vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND. Faciendus est tamen in vase clauso & balneo maris; sed hic syrupus ad usum divitum præsertim inservit.

SYRUPUS CONTRAJERVÆ vid. eadem PH. Sed loco serpentariæ augeatur dosis radicis contrajervæ. Hic syrupus etiam pro pueris opportunum remedium esse potest.

SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM & CORTICUM CITRI vid. APP. MEDICAM. NOSOC. TICIN.; sed oleum essentiale miscebitur cum syrupo ope mucilaginis gummi arabici.

SYRUPUS CORTICIS PERUVIANI vid. APP. NOST.

SYRUPUS DIACODII seu MECONII s. PAPAVER. ALBUS vid. APP. NOST.

SYRUPUS MENTHÆ PIPERITIDIS vid. PH. BREMEN. adhibenda est tamen MENTHA PIPERITIS.

SYRUPUS KERMESINUS. Syrupus ad elegantiam magis quam ad necessitatem factus vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND.

SYRUPUS SACCHARI vel SIMPLEX. Vid. PH. SVECICA, *Sande* & *Hahnemann*.

SYRUPUS VIOLARUM. Hic etiam syrupus cum ad luxum referri possit, pro divitibus est, cum idoneus sit, dum gratum saporem impertitur,

simul ad impertiendum elegantes colores mixturis vel aliis potionibus, in quibus acida vel alcali contineantur. Vid. DISPENSATOR. FULDENS. sed utendum est aqua destillata loco communis in extrahenda violarum tinctura. Vid. quoque *Herold*, *Biedermann*, *Sande*, *Hahnemann*, *Erhart*, *Moench*. Optima methodus est etiam illa, quam docet *Dehne*, atque ad hunc conservandum sufficiet oleum olivarum.

TARTARUS ANTIMONIATUS seu EMETICUS vid. APPAR. NOST.

MARTIALIS s. CHALYBEATUS vid. *Piderit*.

TARTARISATUS seu SOLUBILIS vid. APP. NOST. & *Schiller*.

TARTARUS VITRIOLATUS vid. APP. MED. ad US. NOSOC. TICIN. *Biedermann*, *Malovin* & *Porati*.

TERRA FOLIATA TARTARI vid. APPAR. MEDICAM. AD USUM NOSOC. TICIN. Sed pro divitibus expedit etiam haberi terram sive salem hunc paratum cum aceto destillato. Vid. etiam *Herold*, *Moench*, *Sande* & *Hahnemann*.

TINCTURA SPIRITUOSA ABSYNTHII COMPOSITA vid. PH. AUST. PROV. EMEND.

\- - - ALOES vid. EADEM PH.

\- - - ANTIMONII TARTARISATA vid. *Keup*.

\- - - ASSÆ FOETIDÆ vid. APPAR. NOST.

\- - - BENZOES Præparatum inserviens solis divitibus, cum videatur esse puri luxus. Vid. PH. AUSTR. PROVINC. EMEND.

TINCTURA CALAMI AROMATICI vid. APP. NOST.

. . . CANTHARIDUM vid. APPARAT. NOST.

. . . CARIOPHYLLORUM vid. PH. BREM.

. . . CASCARILLÆ vid. PH. LONDINENS.

. . . CHINÆ LUTEÆ. Paratur eo modo, quo

. . . CASCARILLÆ. Vid. OPUSCUL. MEUM DE CHINA LUTEA.

. . . GUAJACI LIGNI vid. PH. HERBIPOLIT. Sed præscribenda est dosis ingredientium.

Quod ad præscriptionem attinet hujus tincturæ aliarumque continentium magnam resinæ copiam, monendum esse judico pessimum usum esse, quem aliqui medici, ac chirurgi habere solent, ut illam præscribant additam multæ aquæ vel alterius aquei fluidi copia, cum ipse deprehenderim in his, similibusque casibus resinam in solutione spiritus vini contentam non solum continuo separari a dissolvente, sed ipsam fundum petere eidemque a parietibus vasis, in quod affunditur, & continetur aqua, vel aqueus humor, adeo tenaciter adhærere, ut æger ejusdem vel nihil, vel non nisi exiguam partem suscipiat, pereunte in iis circumstantiis ejus energico, ac medicinali principio, quod infirmis suppeditari censetur. Quare expedit ad hæc incommoda præcavenda tincturas hujusmodi, ubi resinosa substantia perfecte saturatæ non sint, eas præscribere addendas exiguæ copiæ fluidi aquei, aut eas præscri-

tere in liquoribus quidpiam spiritus ardentis continentibus: quæ quidem auctio etiam in eo casu expediret, in quo tinctura satura esset resinosa substantia. Cæterum in hoc præsertim casu, ubi circumstantiæ prohibeant pro vehiculo harum tincturarum usum liquorum spiritu vini animatorum, & si ex altera parte eas quis velit præscribere sumendas in aliquo fluido, tum expediat tincturas arcte conjungere aqueo fluido adminiculo alicujus mucilaginis.

Memini a quodam alicujus famæ medico impure præscriptam me vidisse tincturam cantharidum ad magnam dosim, quam ego, si immodicam judicem, errare non puto. Nollem cæteros hoc exemplum imitari, cum mihi persuasum sit, hoc remedio utendum non esse nisi cautissime, certisque dosibus parce circumscriptis. Quod si contigerit illud etiam in magna dosi susceptum minime nocuisse, hoc ex eo repetendum esse judico, quod separata fuerit resinæ portio ea nempe, quæ cum præscribatur, ut passim fit, sumenda in aqueo fluido, facile adhæsit vitro, in quo effusa fuerat. Quo fit ut æger non sumserit totam eam resinæ quantitatem, quæ soluta fuerat in tinctura præscripta, & in quo principio tota consistit cantharidum vis, ideoque hujus, de quo agimus remedio.

TINCTURA LACCÆ vid. PH. FULDENS. Apta præparatio ad usum divitum.

- - - MARTIS POMATA vid. APPAR. MEDIC. NOSOC. TICIN. & *Keup.*

- - - MART. TARTARISATA vid. APP. NOST.

- - - MYRRHÆ vid. APPAR. NOST.

**TINCTURA RHEI AQUOSA vid. APP. NOST.

- - - VALERIANÆ vid. *Keup*, *Baldinger*. Excellens remedium est, sed in curatione maxime divitum.

TROCHISCI ESCAROTICI vid. *Plenk*.

TUTIA PRÆPARATA. Præparatur eodem modo, uti ANTIMONIUM CRUDUM.

VITRIOLUM MARTIS FACTITIUM. Vid. DISPENSAT. FULDEN. & APPAR. NOST.

UNGUENTUM ALBUM seu de CERUSSA vid. APP. NOST.

UNGUENTUM COMMUNE vid. APP. NOST.

UNGUENTUM CONTRA VERMES loco de ARTHANITA vid. PH. AUSTR. PROVINC. EMEND. Præteriri potest oleum tanaceti. Hoc valde utile & congruum esse potest pro infantibus; nec tantum pro fine, ad quem passim adhibetur, sed in aliis præterea morbis.

UNGUENTUM BASILICUM. Vid. APPAR. NOST. PIX NIGRA explere congrue potest vices COLOPHONII.

UNGUENTUM DIGESTIVUM vid. APPAR. AD USUM NOSOCOM. TICIN. & APPARAT. NOST.

UNGUENTUM MERCURIALE ALBUM vid. APP. NOST.

- - - - - - - - CITRINUM vid. PH. PAUPER. HAMBUR.

- - - - - - - - GRISEUM vid. APP. NOST.

UNGUENTUM NERVINUM vid. APPARAT. NOST. Ubi divitibus inserviat, loco olei baccarum lauri impendi potest dimidium olei nucis moschatæ & dimidium balsami Peruviani vel olei

essentialis menthæ, aut Lavendulæ, aut aliud quid simile, quod gratum sit.

UNGUENTUM POMATUM vid. *Piderit:* sed unum ex oleis essentialibus satis esse potest, quod tamen unguentum præsertim pro divitibus inservire potest, pro quibus adhiberi etiam potest in confectione aliquorum linimentorum aut aliorum unguentorum, nisi tamen quidpiam in oppositum obstet.

UNGUENTUM ROSARUM SIMPLEX vid. PH. SUECICA.

UNGUENTUM AD SCABIEM vid. PHARM. BREM.

UNGUENTUM DE TUTIA vid. PH. AUSTR. PROV. EMEND.

Non raro expedire potest omissio Camphoræ.

UNGUENTUM PEDICULORUM vid. PH. BREMENS. Sed oportet mercurium vivum extingui axungia porcina purificata loco terebinthinæ. Pro divitibus vero loco olei baccarum Lauri substitui potest unguentum pomatum.

F I N I S.

MONITUM.

Quartum experimentum, quod retuli pag. 194 pro criterio dignoscendi, an MAGNESIA quidpiam CALCIS contineat, prætereundum erat ut minime aptum ad propositum scopum, cum perspecta jam sint experimenta & monita *Westrumb* in TRACTATIBUS suis PHYSICO-CHYMICIS, quibus palam fecit vel ipsam MAGNESIAM decomponere SALEM AMMONIACUM.

INDEX RERUM.

quantitas aquæ tenere potest solutam certam salium copiam.

Secunda specimen seu prospectum Pharmacopææ conflandæ pro castrensibus Nosocomiis.

Tertia prospectum seu specimen apparatus medicaminum conficiendi pro tota Republica.